Koch, Guilielmus Carolus
Georgius Theodorus
De Juliano Imperatore
scriptorum

G. C. G. Th. KOCH.

De Juliano Imperatore scriptorum, qui res in Gallia ab eo gestas enarrarunt, auctore disputatio.

Arenaci.
apud K. VAN DER ZANDE.
MDCCCXC.

De Juliano Imperatore
scriptorum, qui res in Gallia ab eo gestas
enarrarunt, auctore disputatio.

De Juliano Imperatore scriptorum, qui res in Gallia ab eo gestas enarrarunt, auctore disputatio.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

A. P. N. FRANCHIMONT,

Phil. Nat. Doct. et in facultate Discipl. Mathem. Physic. Prof.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

In Universitate Lugduno-Batava

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

Guilielmus Carolus Georgius Theodorus Koch,

E PAGO HEMMEN-GELRUS,

d. IX m. Iulii a. MDCCCXC hora IV.

ARENACI

APUD K. VAN DER ZANDE.

MDCCCXC.

Matri Carissimae

Optimique Patris Piae Memoriae.

Initio huius dissertationis causas edere mihi liceat cur, cum primo inquirere in cognationem constituissem, quae exstaret inter Ammiani Marcellini et Zosimi de bello a Juliano Imperatore cum Persis gesto narrationes, de fontibus tantum disputare decreverim, ex quibus scriptores antiqui qui Juliani vitam et res gestas enarrarunt, hausisse videntur.

Cum illi rei operam darem, me invito accidit, ut in inquisitione longius quam par esset procederem, finesque propositi mei egrederer.

Intellegebam enim res a Juliano in Perside gestas animo comprehendi minime posse, nisi ceterarum quoque rerum a Juliano gestarum ratio haberetur.

Inquisivi igitur primum in res a Juliano Caesare in Gallia gestas, deinde, ne quid praetermitterem, quae de iuventute eius cognosci possent, indagare conatus sum.

Ita sensim eo adductus sum, ut meo, ut dicitur, Marte historiam Juliani scribere instituerem. Sed mox intellexi eam rem absolvi non posse nisi librum

componerem, qui dissertationis Academicae fines et modum longe excederet.

Praeterea me non fugit, ad eiusmodi librum conscribendum multo plus temporis requiri, quam dissertationi Academicae impendi aequum sit. Decrevi igitur parvam partem earum rerum, quas investigando repperissem, Facultatis Litterarum et Philosophiae examini submittere.

In animo autem est, priorem partem historiae Juliani, in qua narrationem de iuventute rebusque eius in Gallia gestis complexurus sum, patrio sermone conscriptam, intra brevissimum temporis spatium, publici iuris facere.

Hac vero dissertatione, ut supra dixi, de solis fontibus disputaturus sum, e quibus vitae Juliani notitia hausta videtur.

Primus horum fontium rationes et necessitudines perspexit v. d. H. Hecker, qui libro, cui titulus „Zur Geschichte des Kaisers Julianus" [1]) probare conatus est fere omnes scriptores, qui res a Juliano in Gallia gestas enarrarint, ex ipsius Juliani scriptis hausisse.

Ante omnia ostendit Juliani apostasiam primariam fuisse causam cur tot rerum scriptores eius vitam tractarent.

Quorum qui ecclesiastici scriptores dicantur, acerbissimo odio flagrantes, iniquissime de eo existimasse,

---

[1]) Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Kgl. Gymnasiums zu Kreuznach. Ostern 1886.

iraeque et studii plenos quaecunque prava et inhonesta facta de eo hominum sermonibus circumferrentur, pro veris habuisse. Contra qui hellenistici scriptores appellentur, antiqui deorum cultus sectatores, qui gauderent, quod deorum sacra restituta essent, immodicis laudibus eundem extulisse.

Multo tamen graviorem causam, cur saepissime de Juliani rebus scriptores inique iudicarent, amicitias et inimicitias fuisse, quae inter Julianum Caesarem et Constantium Augustum exercerentur.

Contendit enim Heckerus, Julianum in scriptis evulgatis antequam a militibus Augustus renuntiatus inimicitias contraxerit cum Constantio, magnis laudibus Constantium celebrasse; at amicitiae vinculis ruptis eundem non solum bello sed etiam scriptis suis esse persecutum. Eum enim in scriptis tunc editis, veluti in epistula ad Athenienses data, multa tradidisse de Constantio, quae a veritate abhorrerent.

Quod ipsum Heckero iudice ex epistulis apparet, quas multas Julianus, cum Caesar esset, et ad alios amicos et ad Libanium dederit, atque ab iisdem acceperit [1], quippe in quibus nihil inveniatur, unde probari possit Julianum Caesarem a Constantio iniuria esse affectum.

Deinde Heckerus demonstrat Libanium (in oratione funebri) et Zosimum (passim), qui non intellegerent, Julianum ira et studio ductum, haec om-

---

[1]) Epistulae a Libanio ad Julianum datae maioris momenti sunt, quam quas Julianus ad Libanium dedit.

nia de Constantio scripsisse, ex illa epistula ad Athenienses tamquam ex limpidissimo fonte hausisse.

Viros doctos igitur nimiam fidem habuisse Zosimo Libanioque et immerito putavisse hos scriptores ne tunc quidem a veritate discessisse, cum traderent quae apud Ammianum Marcellinum non invenirentur.

Tum probare studet, Ammianum, rerum scriptorum sui aevi facile principem, et cuius fides semper plurimi facta sit, non semper vera rettulisse. Ammianum sane semper id egisse, ut ea memoriae proderet, quae vera ipsi viderentur; attamen suspicari licere, hunc quoque Juliani scriptis in rebus eius gestis enarrandis nimis sedulo usum esse.

Quibus prolatis Heckerus multis argumentis probare conatur Ammianum, Libanium, Zosimum ex eodem fonte hausisse. Quem fontem Commentarios fuisse arguit, quos Julianus de suis rebus gestis conscripserit.

Quod ut probet, locos affert, quibus de his Commentariis agitur, et compluribus horum trium scriptorum locis inter se compositis, ubi inter se differunt, has discrepantias inde natas esse demonstrat, quod alius alio consilio ad scribendum adductus sit.

Sine ulla dubitatione Heckerus illo libello viam monstravit, qua vera fontium inter se necessitudo et cognatio cognosci possunt.

Re igitur denuo accurate excussa in animum induxi de illis fontibus quaedam disserere; quae disputatio mihi ansam dabit ad ea refellenda, quae mihi in Heckeri libello non recte disputata videntur.

Haud tamen iam de fontibus agere in animo est, qui ad totam Juliani vitam pertinent; tantummodo de iis disseram, unde notitia rerum ab eo gestarum haurienda est usque ad id tempus, quo Augustali dignitate ornatus est.

Ut autem quae disputaturus sum melius intellegi possint, vitam Juliani usque ad id tempus brevi in conspectu positam operi praemittam.

Flavius Claudius Julianus a. 331 Constantinopoli natus est Julio Constantio, Constantini Magni fratre, et Basilina parentibus. Mater paucis mensibus postquam Julianum peperit, decessit [1]; pater Constantino Magno mortuo cum ceteris cognatis a seditiosis militibus interfectus est „sinente potius quam iubente Constantio" [2].

Julianum, ob teneram aetatem servatum — erat tunc fere septem annos natus — cum fratre maiore Gallo Constantius Augustus, qui tunc Orienti praeerat, in tutelam suam recepit.

De iuventute Juliani non multa cognita sunt. Quae de ea ecclesiastici, quique ab iis pendent, scriptores narraverunt, omni fide carent. Tantum iis, quae ipse Julianus in epistula ad Athenienses et aliis opusculis de sua iuvenili aetate passim protulit, quaeque Ammianus, Libanius, Eunapius hic illic memoriae prodiderunt, fides habenda est.

Ex his efficere possumus, Julianum Constantino-

---

[1]) Cf. Julian. Misop. Sp. pg. 352 B.

[2]) Eutrop. l. X. c. 9.

poli et Nicomediae educatum, sed interim per sex annos cum fratre Gallo in praedium Macellum in Cappadocia prope Caesaream situm, ablegatum esse. Inde redux primum Constantinopolin, deinde Nicomediam migravit, ubi ab a. fere 349 usque ad a. 354 plerumque degit.

Anno 351 Gallus Orienti praepositus est a Constantio, cui tunc bellum gerendum fuit cum Magnentio. Gallus tunc fratri, qui iam in Bithynia sedulo philosophiae studuerat, cuiusque mens iam in antiquum deorum cultum vergebat, concessit, ut aliquamdiu sedem ac domicilium constitueret Pergami Ephesique, ad audiendos philosophos, qui eo tempore clari erant, Aedesium, Maximum, alios. Ibi, cum esset viginti annos natus, ut ipse tradidit [1]), religionem Christianam deseruit.

Fratre occiso Julianus in crimina vocatus Mediolanum primum in aulam abductus, sed deinde absolutus Athenas missus est, auctore Eusebia regina, cui postea oratione gratias egit, quod suam omniumque, qui Graeca lingua uterentur, patriam visere sibi liceret.

Athenis in philosophorum et rhetorum scholis studiis vacavit, sed mox a Constantio revocatus est, ut Caesaris nomine ornatus, imperium Galliarum susciperet.

A. d. VIII. Idus Novembres a. 355 igitur Caesar renuntiatus Kal. Decembribus in Galliam profectus est.

Gallia iam inde ab anno 350, quo anno Magnen-

---

[1]) in epistula ad Alexandrinos (ep. 51, Sp. pg. 434, D).

tius Constante Augusto interfecto imperium sibi arripuerat, invasionibus Alamannorum et Francorum obnoxia fuerat.

Magnentius, cum adversus Constantium proficisceretur, fratri Decentio Caesari sane mandaverat, ut eorum invasiones repelleret, sed hic a Chnodomario, uno omnium fortissimo regum Alamannorum profligatus erat. [1])

Post mortem Magnentii et Decentii ipse Constantius annis 354 [2]) et 355 [3]) cum Germanis bella gesserat et Silvanum, hominem natione Francum, quem sibi fidum esse existimabat, magistrum peditum Coloniam miserat.

Hic tamen brevi post insidiis inimicorum purpuram sumere coactus est et, cum paulo post interfectus esset, Constantius invitus fratrem patruelem Julianum, etsi rei militaris prorsus ignarum, Athenis arcessitum Gallicis rebus praefecit.

Merito tamen ei non statim, sed secundo demum anno, postquam ostenderat, quid valeret, summa imperii tributa est; tunc celeberrima illa pugna apud Argentoratum a. 357 commissa, clarum nomen eius reddidit.

Deinde Germanos non solum e Gallia propulit sed etiam, ut eos prorsus subigeret, ter Rhenum traiecit.

Paulatim tamen Constantii animus a Juliano, cuius nimiam potentiam timebat, et meritis invidebat, alie-

---

[1]) cf. Amm. Marcell. XVI. 12.5.

[2]) cf. Amm. XIV. 10.

[3]) cf. Amm. XV. 4.

nus factus est et, cum Imperator ad bellum cum Persis gerendum lectos Juliani milites e Gallia evocaret, seditione orta eius exercitus Julianum Augustum salutavit (a. 360).

Tempestiva mors Constantii [1]) bellum civile iam exortum mature exstinxit; quo facto Julianus statim per totum Imperium Romanum Imperator renuntiatus est.

Fontes autem, e quibus notitia rerum his annis (a. 356—361) gestarum haurienda est, quoniam tractandos mihi sumpsi, probaturus sum primarios auctores Ammianum et Libanium quae memoriae tradiderint, ex deperditis Juliani commentariis desumpsisse. Multa autem eorum quae Heckerus iam satis luculenter demonstravit omittam. Ita tacitus pro explorato habebo, Libanii orationes ad res gestas Juliani cognoscendas nullius esse pretii. Libanium enim, ut Juliani gloriam augeret, quaedam alieno loco narravisse, alia amplificasse, alia praetermisisse, omnia denique pervertisse.

Cum autem Heckerus primus omnium viderit, totam narrationem Ammiani ex Commentariis Juliani fluxisse, in errorem incidit, cui multi eorum obnoxii sunt, qui novam aliquam rem invenisse se putant: partim nimis multa probare voluit, partim quae vera videntur, aut non satis dilucide exposuit, aut parum firmis argumentis probavit. Quae causa exstitit, cur v.

---

[1]) mense Novembri a. 361.

d. L. Mendelssohn eum tam acerbis verbis impugnaret. [1])

Quae autem de Zosimo exposuit Heckerus aut falsa sunt, ut mox demonstrabo, aut remotiora sunt a meo proposito, quam quae hic possint ordine describi. Quae tamen vitia non eiusmodi sunt ut omnem fidem Heckeri disputationi merito denegemus.

Unum eius paene dixerim ridiculum errorem proferam, alios suo loco notabo. Pag. 11 [2]) contendit Constantium mense Maio a. 356 Romae triumphum egisse, unde colligit Ammianum de Helena Juliani uxore quaedam narrasse, quibus ipsa natura reclamitaret.

Ammianus autem narrat [3]), Eusebiam Romae eo tempore Helenae insidiatam esse, eamque inlexisse ut venenum biberet, ut quotiescumque concepisset, abortum faceret. „Nam et pridem in Galliis," ait,

---

[1]) In Praefatione editionis Zosimi, in adnotatione ad pg. XLV, ubi haec: «Quodsi ea concordia» (inter Ammianum et Zosimum) «cum Heckero explicanda sit eo quod Juliani commentarios «uterque expilaverit, necesse est ut Juliano praeter alias virtutes «etiam ea obtigerit ut non solum vitae sed etiam *mortis propriae* «*narrator* fuerit.» et in fine: «Qui (sc. Ammianus et Libanius) «quae de bellis Germanicis habent, revera redire ad Juliani illos «Commentarios prius quam credam, firmiora requiro argumenta «quam quae ab Heckero prolata sunt.»

[2]) Hecker «Julian» inquit «wurde nach Ammians eigener Erzäh«lung im November 355 mit Helena, der Schwester des Constan«tius, vermählt. Im Mai 556 feierte Constantius einen Triumph «in Rom, bei dem auch Helena in der Stadt war. Davon erzählt «nun Ammian (16. 10. 18 f.) eine Geschichte, die schon den «Naturgesetzen widerspricht.»

[3]) l. XVI. c. 10. §§ 18. 19.

„cum marem genuisset infantem, hoc perdidit dolo, „quod obstetrix corrupta mercede mox natum prae„secto plus quam convenerat umbilico necavit."

Cum autem Julianus mense Novembri a. 355 uxorem duxisset, ille infans ante mensem Maium a. 356 natus esse non potest. Sed Constantius non a. 356, sed a. 357 Romae fuit [1]); nihil igitur in narratione Ammiani est, quod offendat.

Jam autem — liceat enim tandem aliquando ad ipsum propositum meum venire — hoc perquirendum est, quae scripta historica Juliani praeter ea, quae adhuc supersint, in antiquitate nota fuerint simulque constituendum, quo tempore composita et edita sint. Quo facto probaturus sum, Ammianum Marcellinum in bellis Germanicis enarrandis peculiari quodam fonte usum fuisse. Postremum vero demonstrabo, fontem illum fuisse nullum alium nisi Commentarios a Juliano conscriptos.

---

[1]) Cf. *Tillemont*. Hist. des Empereurs IV. Note 39 (pg. 290 ed. Bruxellensis a. 1732.)

Clinton. Fasti Romani s. a. 357.

Ammianus (XVI. 10. 20) narrat Constantium tricesimo die postquam ingressus sit, a. d. IV. Kal. Jun. ex urbe per Tridentum celeriter in Illyricum profectum esse, et inde, h. e. Sirmio, pro Marcello Severum in Galliam misisse, Ursicinumque Sirmium arcessivisse. Constat autem Severum a. 357 in castra Juliani venisse (cf. Amm. XVI. 11. 1.) et Marcellum a. 356 (cf. Amm. XVI. 2. 8.) et sequenti hieme (cf. Amm. XVI. 4. 3.) equitum magisterio in Gallia perfunctum fuisse. Severus igitur ineunte aestate a. 357 in Galliam venit, unde sequitur, Constantium a. 357, sed non a. 356 Roma Sirmium iter fecisse.

Julianum de bellis Germanicis plura scripsisse quam quae in epistula ad Senatum Populumque Atheniensium inveniuntur, ex Eunapii fragmentis historicis comperitur.

In fragmento IX [1]) legimus:

„De Juliano Apostata sic ait Eunapius: Huius „maximae et quotquot antea fuerunt clarissimae „expeditionis narrationem scribere aggrediens, haud „imitabor eos, qui meridie faces attollunt, ut latens „aliquid vestigent. Nam quia ipse Julianus, in scrip„torum quoque numero princeps, suorum facinorum „admiratione captus, *libellum integrum* super hoc „proelio conscripsit, equidem haud illi me contendam, „neque aliam historiam eadem de re instruam, sed „eos qui orationis pariter et operum magnitudinem „contemplari volunt, ad praedictum libellum ablegabo „atque ad illius scripturae splendorem, qui nimirum „ex operum eius virtute in ipsius orationis facundiam „radios proiicit. Ego vero, haud puerilis vel sophi„sticae aemulationis studiosus, sed ad historicam ve„ritatem orationem meam conformans et dirigens, res „gestas percurram, et ante dictis consequentia nectam.[2])

---

[1]) Fragmenta Historicorum Graecorum ed. Mueller IV. pag. 16. Utor Muelleri versione.

[2]) Graece: *Ὅτι φησὶν Εὐνάπιος περὶ τοῦ παραβάτου Ἰουλιανοῦ· Τῆς δὲ στρατείας ταύτης σφοδροτάτης τε ἅμα καὶ κλεινοτάτης τῶν πρὸ αὐτῆς γενομένων τὴν διήγησιν ἐς τήνδε τὴν γραφὴν ἐντείνοντες, οὐ πεισόμεθα ταυτὸν τοῖς ἐν ἡμέρᾳ δᾳδας ἀνασχοῦσιν, ἵνα τι κρυπτόμενον ἀνεύρωσιν· οὐδὲ ὑπὲρ ὧν ἱκανῶς ἅμα καὶ συνενθουσιῶν τοῖς ἑαυτοῦ καλοῖς βιβλί-*

Satis perspicuum est, libellum quendam hic commemorare Eunapium, quem Julianus de pugna apud Argentoratum a. 357 facta conscripserit, quo se ipse summis laudibus extulerit.

Nemini autem in mentem venire potest, Eunapium hic epistulam ad Athenienses significasse. Nam in illa epistula, in qua maximam partem agit de ratione, quae intercesserat inter Julianum et Constantium, in qua Julianus in Constantium acerbissime invehitur et ipse sua facta defendit, de illo proelio haec tantum dixit: [1])

„Nec pugnavi sine gloria, cuius proelii fortasse „etiam ad vos" (Athenienses) „fama pervenit."

Neque magis haec ad Epistulam ad Corinthios deperditam pertinent [2]), neque ad ullum opusculum quod nobis servatum est.

διον ὅλον τῆδε ἀναθεὶς τῇ μάχῃ διῆλθεν ὁ βασιλικώτατος καὶ ἐν λόγοις Ἰουλιανὸς, αὐτοὶ παραβαλούμεθα καὶ συνεκθήσομεν ἑτέραν γραφὴν τὰ αὐτὰ σημαίνουσαν· ἀλλὰ τοῖς μὲν βουλομένοις τὸ μέγεθος τῶν ἐκείνου λόγων τε καὶ ἔργων ἀνασκοπεῖν τὸ περὶ τούτων βιβλίον ἐπιτάξομεν, καὶ πρὸς ἐκείνην φέρεσθαι τὴν ἀκτῖνα τῆς συγγραφῆς, ἐκ τῆς ἐνεργείας τῶν τότε ὑπ᾽ αὐτοῦ πραχθέντων ἐπὶ τὴν τοῦ λόγου δύναμιν ἀπορρυεῖσαν καὶ διαλάμψασαν· αὐτοὶ δὲ ὅσον ου πρὸς ἅμιλλαν μειρακιώδη καὶ σοφιστικὴν, ἀλλ᾽ εἰς ἱστορικὴν ἀκρίβειαν ἀναστῆσαι καὶ διαπλάσαι τὸν λόγον, ἐπιδραμούμεθα τὰ γεγενημένα, συνάπτοντες τοῖς εἰρημένοις τὰ ἐχόμενα.

[1]) Sp. pg. 279c: *καὶ ἐμαχεσάμην οὐκ ἀκλεῶς, ἴσως καὶ εἰς ὑμᾶς ἀφίκετο ἡ τοιαύτη μάχη.*

[2]) Cf. fragmenta ab Hertleinio allata pg. 609/610.

Epistula enim ad Corinthios, quae Zosimo auctore [1]) eodem quo epistula ad Athenienses tempore scripta est, eadem fere tractasse mihi videtur, saltem apologiae loco fuit. Verba, quae apud Zosimum III. c. 3, § 2 leguntur: „dati ei a Constantio milites, qui „numero trecenti et sexaginta erant. Nihil aliud scie„bant, quemadmodum ipse alicubi dicit, nisi ut votis „rem gererent" [2]), haec verba ostendunt Julianum cum haec scriberet, ira et odio in Constantium incensum fuisse. Non nisi a. 361, cum in Constantium proficisceretur, scripta esse possunt. Recte igitur v. v. d. d. Hertlein [3]) et Mendelssohn [4]) ea verba ad illam epistulam referunt, nisi forte, id quod, si ipsam rem respicias, non magni interest, ex epistula ad Lacedaemonios sumpta sunt.

Testimonium supra allatum Eunapii igitur iam satis probat, exstitisse aliquando scriptum quoddam Juliani, nunc deperditum, de pugna Argentoratensi, ne dicam de omnibus bellis Germanicis.

Alterum fragmentum Eunapii XIV, § 7 [5]), in quo de scriptis Juliani agitur, cum minus perspicuum sit, interpretatione quadam eget. Quod fragmentum his verbis conceptum est:

---

[1]) l. III c. 10 § 4. Cf. etiam Liban. 1 pg. 389.

[2]) Graece: *οἱ δὲ παρὰ Κωνσταντίου δοθέντες αὐτῷ, τριακόσιοι καὶ ἑξήκοντα τὸν ἀριθμὸν ὄντες, μόνον εὔχεσθαι, καθάπερ αὐτός πού φησιν, ᾔδεσαν.* Eadem sententia occurrit apud Libanium I pg. 553.

[3]) Fragm. 7. (pg. 608 H.).

[4]) ad Zosimi ed. pg. 113.

[5]) pg. 20 ed. Muelleri.

„De bellica adversus Nardinos (?) expeditione, quae „varios casus experta est, scribit ipse Julianus alibi „alia in epistulis ad diversos enarrans. Ad quendam „itaque scribens Cyllenium, qui argumentum illud „tractaverat, primum quidem eum obiurgat, propterea „quod a veritate aberraverat; tum ipse rem ita ut „erat exponit. Ait autem, facta illa scriptore non „indigere: nam neque Palamedi, inquit, ad gloriam „opus Homero fuit. Ergo alienas factorum suorum „historias excelso animo abnuens, ipse tamen magni- „tudine rerum gestarum ad dicendum impellitur. Neque „simplicem historiam, sed .... [1] luculentam sui lau- „dationem sponte persequitur, atque in epistulis ad „multos scriptis se ipsum praedicat.'' [2]

Res ipsa clamat pro *Nardinos*, legendum esse *Alamannos*, ut iam v. d. Becker coniecit. Nardini enim

---

[1]) hic oratio vitio laborat.

[2]) Graece: *ὅτι περὶ τῆς στρατείας τῆς κατὰ Ναρδινῶν πολυτρόπου γενομένης ἐκτίθησι μὲν αὐτὸς Ἰουλιανός, ἄλλα δὲ ἀλλαχοῦ καὶ πρὸς πολλοὺς ἀναφράζων ἐν ἐπιστολαῖς. Πρός τινα γοῦν Κυλλήνιον καὶ ταῦτα ἐξηγούμενον τὰ μὲν ἐπιτιμῶν ὡς διαμαρτάνοντα τῆς ἀληθείας φαίνεται, καὶ παρεκτίθησί γε τὰ πραχθέντα ὅπως γέγονε· φάσκων δὲ μὴ δεῖσθαί που τά τε ἔργα λέγοντος (οὐδὲ γὰρ Παλαμήδην Ὁμήρου προσδεηθῆναί φησιν εἰς δόξαν), καὶ τὰς ἀλλοτρίας συγγραφὰς τῶν ἰδίων ἔργων ὑπὸ μεγαλοψυχίας παραιτούμενος, αὐτὸς ὅμως διὰ μέγεθος τῶν πεπραγμένων πρὸς τὸ λέγειν αὐτὰ κατασειόμενος, οὐδὲ συγγραφὴν ἁπλῆν, ἀλλ' ἔπαινον κέκρικέν τινα καὶ λαμπρὸν ἑαυτοῦ διέξεισιν αὐτοκέλευστος, καὶ πρὸς πολλοὺς αὐτὰ διὰ τῶν ἐπιστολῶν ὑμνῶν.*

prorsus ignoti sunt. Contra *Nariscos*, (id quod legendum v. d. Muellerus proposuit [1]), Juliano bellum gerendum non fuit, et haec Germanorum gens apud nullum scriptorem, qui has res exposuit, memoratur. [2])

Epistularum autem, quae ab Eunapio laudantur, duo genera exstitisse mihi videntur. Initio [3]) et in fine [4]) huius fragmenti Eunapius mentionem fecit epistularum ad multos scriptarum; in quibus tamen de illis rebus bellicis tantum actum esse veri simile non est; id certe ex verbis Eunapii effici posse nego. Collatis igitur, quae Libanius in Juliani Consulatum I, pg. 389 versu 6 de iis epistulis scripsit [5]), coniicio, nec tamen pro certo affirmare ausim, Eunapium hic significare epistulas ad Athenienses, Corinthios, Lacedaemonios, alias, quae nunc plane perierunt. [6]).

Attamen hic quoque Libanius more suo rem verbis

---

[1]) Fragm. Hist. Graec. IV. pg. 20b.

[2]) Cf. Zeuss die Deutschen und die Nachbarstämme pgg. 117 et 585.

[3]) *ὅτι περὶ τῆς στρατείας τῆς κατὰ Ναρδινῶν πολυτρόπου γενομένης ἐκτίθησι μὲν αὐτὸς Ἰουλιανὸς, ἄλλα δέ ἀλλαχοῦ καὶ πρός πολλοὺς ἀναφράζων ἐν ἐπιστολαῖς.*

[4]) *καὶ πρὸς πολλοὺς αυτὰ διὰ τῶν ἐπιστολῶν ὑμνῶν.*

[5]) *ὥστ' ἐν μέσοις τοῖς δεινοῖς ἐμβεβηκὼς, δι' Ἑλλήνων ἅπασιν ἀνθρώποις ἀπελογεῖτο, πέμπων ἐπιστολὰς ἐκεῖσε, κατὰ τοὺς ἑκάστων τρόπους, μείζους, ἐλάττους, τὸ μέσον ἐχούσας, ὡς ἔμελλον τοῖς δεξομένοις ἁρμόσειν.*

[6]) Nemo est, quin intellegat, hic non agi de ep. 38, ubi haec tantum de expeditione quadam adversus Germanos reperiuntur (Sp. 414 B): *στρατεύσας ἐπὶ τοὺς βαρβάρους, ἐκείνης μοι γενομένης τριμήνου τῆς στρατείας, ἐπανιὼν κτλ.*

auxisse videtur, nam Zosimus trinas tantummodo litteras commemoravit [1].

In media parte fragmenti Eunapii, quod supra laudavimus, agitur de epistula, quam Julianus ad Cyllenium hominem prorsus ignotum dedit. Eunapio auctore Julianus superbia inflatus aliorum de suis rebus gestis scripta repudiavit et ipse bella a se gesta descripsit.

Illa epistula autem ad Cyllenium probe distinguenda est a Juliani narratione pugnae Argentoratensis, de qua agitur in fragmento IX, nam si Eunapius illud opusculum iterum laudasset, id certe more suo disertis verbis significasset [2].

Satis constat igitur Eunapio nota fuisse Juliani scripta haec:

1°. Narrationem pugnae ad Argentoratum.

2°. Epistulas ad Athenienses, Corinthios, Lacedaemonios, fortasse etiam alias.

3°. Epistulam ad Cyllenium.

Num autem illa narratio pugnae Argentoratensis idem opus fuerit atque id quod vulgo Commentarios vocent, adhuc non liquet. Si duo diversa opera fuerunt, v. d. L. Mendelssohn assentior, qui contendat Commentarios illos Eunapio haud notos fuisse [3].

---

[1]) l. III. c. 10 § 4.

[2]) Cf. Eunapium in vita Maximi pg. 53 ed. Wyttenbachii, ubi de Juliano agens haec addit: ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκεῖνον ἀναγέγραπται.

[3]) In Praefatione editionis eius Zosimeae pg. XLVI in adnotatione.

At argumentum quo utitur ad id probandum, facile refelli potest. Dicit Eunapium illos commentarios non cognovisse „non enim", ait „ad Oribasii „ὑπόμνημα (frg. 8) Julianique epistulas, quarum „multitudinem ipse notat (frg. 14. 7) confugiendum „ei fuisset."

Eunapius in eorum scriptorum numero habendus est, qui qua sunt animi levitate et ignavia haud imprudentes deteriores fontes in operibus suis conscribendis sectantur. Pigri plerumque et inertes fontes melioris notae, quos haud ignorant, adire supersedent, quippe qui non id agant ut quam maxima cura et diligentia sed ut quam minima virium intentione opus suum conscribillent. Si Commentariis Juliani uti voluisset Eunapius, plura eum scire oportuit, quam Graecus rhetor necesse habere solebat.

Consulto igitur fontem deteriorem adhibet, legentes adhortans, ut librum de pugna Argentoratensi inspiciant.[1])

Jam ad alios scriptores transeamus. Ammianus quoque Marcellinus Juliani opera commemorat. Apud eum XVI. 5,7 legimus: „sed tamen cum haec" (praecedunt nonnulla de philosophiae studiis Juliani) „effecte „pleneque colligeret, nec humiliora despexit, poeticam „mediocriter et rhetoricam (amavit) [2]) — ut ostendit

---

[1]) Cf. fragmenti 9 verba haec:
οὐ πεισόμεθα ταὐτὸν τοῖς ἐν ἡμέρᾳ δᾷδας ἀνασχοῦσιν, ἵνα τι κρυπτόμενον ἀνευρῶσιν. et: *ἀλλὰ τοῖς μὲν βουλομένοις τὸ μέγεθος τῶν ἐκείνου λόγων τε καὶ ἔργων ἀνασκοπεῖν τὸ περὶ τούτων βιβλίον ἐπιτάξομεν.*

[2]) *amavit* inseruit Wagnerus; desideratur in codicibus.

„orationum epistularumque eius cum gravitate comitas „incorrupta — et *nostrarum externarumque rerum „historiam multiformem.*"

Textus corruptus est. Verbum unde pendent nomina: *poeticam*, *rhetoricam*, *historiam* excidit, neque ex Wagneri coniectura verbum „*amavit*" supplendum est. Sententia requirit: „*tractavit*", aut aliud eiusdem significationis verbum; Julianus non tantum amavit litteras, sed etiam coluit et multis scriptis auxit.

Ammianus igitur primum philosophiae studia Juliani, deinde carmina — pauca eius epigrammata exstant [1]) — et *rhetoricam* commemorat, quo nomine orationes epistulasque eius amplectitur, et postremo: *nostrarum externarumque rerum historiam multiformen* h. e. rerum domi peregrique gestarum variam historiam, eamque maioris momenti, quam cui nomen commentariorum, librorum Caesaris instar, sufficiat. Concedo expressis verbis Ammianum non indicare utrum Julianus res *suas* tractaverit an *aliorum*; sed infra de ea re quid statuendum videatur aperiam.

Iam de omnibus deinceps epistulis, quas Libanius ad Julianum dedit, ubi disputaturus sum, copia mihi erit in tempus inquirendi quo Julianus res suas conscribere instituit scriptasque evulgavit.

In primis citanda est Libanii epistula 33 ad Julianum. Scripta est non multo post Nicomediam eversam i. e. a. d. IX. Kal. Sept. a. 358 [2]),

---

[1]) Cf. Juliani Opera. ed. Hertlein pg. 611/612.

[2]) Cf. Amm. Marcell. XVII. 7, 2.

nam Libanius rescribit ad litteras Juliani hanc cladem commiserantis [1]. Eam non, ut v.v.d.d. Muecke [2] et Schwarz [3] volunt, a. 362, cum Julianus urbem eversam visisset [4], scriptam esse, ex initio comperitur, ubi Libanius ad Julianum his verbis scribit [5]. „Tibi quidem corpus, ut „nuntias, incolume perenni robore valeat: luctui „vero medelam afferat Deus. Aut potius luctus ex „parte Deo indiget, partem *vos ipsi*" (h. e. tu et Constantius) „levare *valetis*. Civitatem enim instaurare, „modo *volueritis*, *potestis*" et brevi post: „Nicome„diam equidem etiam iacentem beatam praedico. „Salvam quidem esse fas erat; sed vel sic tamen „lacrimis tuis ornata est" [6].

Si haec epistula a. 362 scripta esset, Libanius non *ambos* principes allocutus esset. Data igitur est a. 358.

---

[1] Cf. Sievers. Das Leben des Libanios pg. 246. Mendelssohn in Praefatione ed. Zosimi pg. XLVI in adn.

[2] Dr. Alph. Muecke. Julians Leben und Kriegsthaten II pg. 214.

[3] Schwarz. De vita et scriptis Juliani Imperatoris. Bonnae 1888. pg. 11.

[4] cf. Amm. Marcell. XXII. 9. 2—5.

[5] Utor in hac aliisque Libanii epistulis, versione Wolffii.

[6] Graece: *Ἀλλά σοι τὸ μὲν σῶμα, ὡς ἐμήνυες, εὖ διὰ τέλους ἔχοι, τῇ λύπῃ δὲ φάρμακον ἔλθοι παρὰ τοῦ Θεοῦ. μᾶλλον δὲ τὸ μέν τι τῆς λύπης δεῖται Θεοῦ, τὸ δὲ ὑμεῖς ὑμῖν αὐτοῖς παῦσαι κύριοι. Τὸ μὲν γὰρ ἀνορθῶσαι τὴν πόλιν, ἕτοιμον, εἰ βουληθείητε* et brevi post: *Μακαρίζω δ' ἔγωγε τὴν Νικομήδειαν καὶ κειμένην. Ἔδει μὲν γὰρ ἑστάναι, τετίμηται δὲ ὅμως δάκρυσι σοῖς.*

In iis litteris autem Libanius ait:

„Pulcherrimum mihi in primis visum est, cum „audivi, profligare te barbaros, *victoriasque in Com„mentarios referre*, eundemque et Rhetoris et Ducis „partibus vere perfungi. Achilli quidem Homero opus „erat [1]) . . . ., *tua* vero tropaea *tua* „statuentis voce memoriae posterorum dedicabuntur. „Adeo vincis Sophistas" (h. e. viros doctos) „qui non „res gestas solum in quibus elaborent, sed et oratio„num, quas praeter res gestas componis, certamen „proponas" [2]).

Disertis igitur verbis Libanius in illa epistula dicit se comperisse, Julianum in *suis* rebus gestis componendis occupatum esse. Quod autem pugna Argentoratensis a. 357 commissa est, suspicor Julianum post illam victoriam res suas scriptis mandare constituisse. Postremis tamen verbis a me laudatis Libanius non significavit Commentarios, sed Orationes Juliani,

---

[1]) Verba corrupta. Legitur: *Ἀχιλλεῖ μὲν γὰρ Ὁμήρου ἔδει, καὶ Ἀλεξάνδρῳ πολλῶν Τιτήνων. Τιτήνων* vox nihili est. Vera lectio adhuc non inventa est. Sententia autem postulat: «Alexandro autem multis rerum scriptoribus."

[2]) Graece: *Κάλλιστον δὲ ὧν ἤκουον τὸ ἐλαύνειν τε τοὺς βαρβάρους, καὶ τὰς νίκας εἰς συγγραφὴν ἄγειν, καὶ τὸν αὐτὸν ὄντως ῥήτορά τε εἶναι καὶ στρατηγόν. Ἀχιλλεῖ μὲν γὰρ Ὁμήρου ἔδει, καὶ Ἀλεξάνδρῳ πολλῶν Τιτήνων (?). Τρόπαια δὲ τὰ σὰ μνήμης τεύξεται τῇ τοῦ στήσαντος φωνῇ. Τοσοῦτον ἔφθης τοὺς σοφιστάς, ου τὰ ἔργα μόνον πόνον αὐτοῖς προθείς, ἀλλὰ καὶ τὴν, πρὸς τοὺς λόγους, οὓς ἐπὶ τοῖς ἔργοις ἐποίησας, ἅμιλλαν.*

quas a. 358 iam tres numero scripserat et publici iuris fecerat [1]).

In epistula 372, ad Julianum data, Libanius scripta quidem Juliani commemorat, sed de Commentariis plane tacet. Haec epistula igitur ante illam, de qua modo egi, sed tamen post victoriam Argentoratensem reportatam [2]) scripta esse videtur. Est, ut ex verborum contextu apparet, prima copiosius conscripta epistula, quam Libanius ad Julianum scripsit, postquam a Constantio in societatem Imperii adscitus et in Galliam missus est.

In huius epistulae initio autem legimus: „Duplicem reportasti victoriam, alteram quidem armis, „alteram facultate dicendi; et tropaeum tibi alterum „a barbaris, alterum a me amico tuo statutum est, „quod ipsi etiam triumphato est jucundum. Omni„bus enim parentibus in votis est a liberis superari, „tuque qui scribendi artem meis praeceptis debes, „me illorum auctorem his ipsis vicisti" [3]).

Iam satis apparet orationum tantum rationem habuisse Libanium quales sexcentas ipse Libanius

---

[1]) Orr. I et II in laudem Constantii, or. III in laudem Eusebiae reginae.

[2]) Cf. initium huius epistulae.

[3]) Graece: *Διπλῆν ἀνῄρησαι νίκην τὴν μὲν ἐν ὅπλοις, τὴν δὲ ἐν λόγοις. Καί σοι τρόπαιον ἕστηκε τὸ μὲν ἀπὸ τῶν βαρβάρων, τὸ δ' ἀπ' ἐμοῦ τοῦ φίλου. Τουτὶ δὲ τὸ τρόπαιον ἡδὺ τῷ κεκρατημένῳ. Πᾶσι γὰρ δὴ πατράσιν εὐχῆς μέρος παίδων ἡττᾶσθαι, καὶ σὺ παρ' ἐμοῦ λαβὼν τὰς εἰς τὸ γράφειν ὁδούς, οἷς ἔλαβες τὸν δόντα παρήνεγκας.*

composuit et cui generi, ut iam vidimus, etiam Julianus studuit.

Non diversa profitetur Libanius in oratione, cui *προσφωνητικῷ* nomen est [1]), in qua Julianum his adloquitur [2]): „Et tu solus ea complexus es, quae „singula singulos ornare solent; neque ullus rhetor, „neque miles aut iudex, aut sophista, aut sacrorum „initiator, aut philosophus, aut vatis te prae se con„temnere possit. Nam et bella gerentes rebus tuis „gestis et verba facientes orationibus tuis obscurasti. „Quippe qui etiam meam in epistulis scribendis, quae „videtur, urbanitatem superasti. Sed hac in re quidem „lucrum commune est. Nam hunc decorem ego qui„dem sevi, at tu nutrivisti, et civitates decerpunt" [3]).

In his quoque verbis Libanius nihil nisi *λόγους* et *ἐπιστολάς* Juliani commemorat, nam in eadem oratione etiam haec leguntur [4]):

---

[1]) R I pg. 405—423.

[2]) pg. 422.

[3]) Graece: *Καὶ μόνος συνείληφας, ἁ τοὺς ἄλλους μεμερισμένα κοσμεῖ. καὶ οὔτε ῥήτωρ, οὔτε ὁπλίτης, οὔτε δικαστής, οὔτε σοφιστής, ου τελεστικός, οὐ φιλόσοφος, οὐ μάντις, δύναιτ᾿ ἂν αὐτὸν πρὸ σοῦ θαυμάσαι. καὶ γὰρ πράττοντας, οἷς πράττεις, καὶ λέγοντας, οἷς λέγεις, ἐκάλυψας. ὅς γε καὶ τὴν δοκοῦσαν ὥραν τῶν ἐμῶν ἐπιστολῶν παρελήλυθας. ἀλλ᾿ ἐνταῦθα μὲν κοινὸν τὸ κέρδος. τουτὶ γὰρ τὸ καλὸν ἐγὼ μὲν ἐφύτευσα, σὺ δὲ ἔθρεψας, αἱ δὲ πόλεις δρέπονται.*

Etiam in oratione in honorem Juliani Consulatus I pg. 400 Libanius scripta Juliani commemorat, sed ea verba vagiora sunt, quam ut inde quicquam colligi possit.

[4]) R. I pg. 412/413.

„At ego te rogare velim, quomodo quaeque „(facinorum tuorum) peracta sint. At verbis te eloqui „nihil necesse est, sed sufficiet *Commentarios dedisse*, „*quos de iis rebus quas gessisti*, *ipse composuisti*, tu, „qui idem dux et rerum scriptor (factus) es. Sed „*illis* paulo post utar ad longiorem orationem, cum „deus in altum ut vela dem permiserit. At nunc „summam rerum gestarum (attingam)" [1]).

Illo tempore — oratio autem, de qua disputo, habita est a Libanio paulo postquam Julianus Antiochiam venit, mense Julio anni 362 [2]) — illo igitur tempore Commentarii Juliani nondum editi, sed iam conscripti erant. Libanius illos sibi postea materiem praebituros esse ad longiorem laudationem sperat, siquidem vox *ἐκεῖνα* referenda est ad illos Commentarios, non ad clara Juliani facinora.

Multum referre etiam ad rem nostram illustrandam videtur brevis illa epistula 525, quam Libanius ad Julianum dedit, cum hic iam Imperator esset, ut

---

[1]) Graece: *ἐγὼ δὲ σοῦ δεηθείην ἂν εἰπεῖν ὅπως ἕκαστα πέπρακται· δεῖ δὲ ουδέν σοι πρὸς ταῦτα στόματος, ἀλλ᾽ ἀποχρήσει δοῦναι τὴν συγγραφήν, ἣν ὧν αὐτὸς ἔπραξας, συνέθηκας, ὁ αὐτὸς γενόμενος καὶ στρατηγὸς καὶ συγγραφεύς. ἀλλ᾽ ἐκεῖνα μέν μοι χορηγήσει πρὸς μῆκος λόγου μικρὸν ὕστερον, ἐπειδὰν εἰς τὸ πᾶν ἀφεῖναι πέλαγος ὁ θεὸς ἐπιτρέπῃ. νῦν δὲ τὸ κεφάλαιον τῶν εἰργασμένων κτλ.*

[2]) Cf. de tempore quo Julianus Antiochiam venerat Sievers, das Leben des Libanios pg. 247/248, et Schwarz de vita et scriptis Juliani pg. 18, qui alius aliter computantes eadem reppererunt.

ex titulo apparet, quae his verbis concepta est: „Misi ad te orationem parvam de rebus maximis. „Ut maior illa evadat tu quidem potes efficere, si ea „suppeditaveris, unde maior fieri possit. Quodsi igitur „ea dederis, ostendes, te me putare encomiorum arti„ficem. Si non dederis, facies, ut alia suspicer," subaudi: „nostram amicitiam refrixisse." [1])

Haec epistula scripta mihi esse videtur quo tempore Julianus Antiochiae habitabat h. e. inter Julium mensem a. 362 et mensem Martium a. 363; nam ante adventum Juliani Antiochiam epistula, e qua tantam familiaritatem inter eos exstare apparet, scripta esse non potest.

Libanius non ut alii post mortem Constantii conatus erat se insinuare in amicitiam Juliani [2]); immo Julianus apud legatos, qui Antiochia Constantinopolin venerant gratulatum, graviter conquestus est quod nullas sibi a Libanio litteras attulissent. [3])

Libanius epistulam, de qua agimus, misit una cum oratiuncula in honorem Juliani scripta. Fieri non potest, quin haec oratiuncula aut *προσφωνητικὸς*

---

[1]) Graece: *Ἔπεμψά σοι τὸν λόγον μικρὸν ὑπὲρ μεγάλων πραγμάτων. Τοῦ δὲ καὶ μείζω γενέσθαι λόγον, σὺ δήπου κύριος, εἰ δοίης, ἀφ' ὧν ἂν γένοιτο μείζων. Δοὺς μὲν οὖν δηλώσεις, ὅτι με τεχνίτην ἐγκωμίων ἡγῇ. Μὴ δοὺς δέ, δώσεις ἕτερα ὑποπτεύειν.*

[2]) Cf. Sievers, das Leben des Libanios pg. 89 adn. 22. pg. 91.

[3]) Cf. Liban. de vita. I pg. 81.

Liban. epist. 628.

λόγος [1]) aut oratio fuerit, in honorem Juliani consulatus Kal. Januariis a. 363 habita [2]). Nam oratio, quae pro Aristophane a. 362 apud Julianum habita est, nihil commune habet cum iis rebus, quas petit Libanius. Oratio autem cui πρεσβευτικῷ nomen est, [3]) Reiskio auctore [4]) numquam habita est. Attamen etiam oratio in honorem Consulatus Juliani longior esse mihi videtur, quam ut recte oratiuncula dici possit; nam apud Reiskium 39 paginas continet. Veri simile igitur est Libanium hic mentionem fecisse de oratione, cui προσφωνητικῷ nomen est, quae concinnius 19 paginis typis expressa est. Epistula 525 igitur non multo postquam Julianus Antiochiam venit scripta esse videtur.

In hac epistula autem Libanius Juliano persuadere conatur, ut sibi mittat unde maiorem orationem in eius honorem componere possit; sin minus, se existimaturum se a Juliano neglegi.

Cum mutua eorum amicitia non refrigerata esset, suspicor Julianum tandem instanti Libanio satisfecisse et commentarios suos posteriore parte a. 362 edidisse.

Jam sequitur — nam omnes a Libanio ad Julianum datas epistulas recensere mihi in animo est —

---

[1]) Reiske I pg. 405—423.

[2]) R. I pg. 366—404.

[3]) R. I pg. 451—483.

[4]) I pg. 451. Cf. etiam Sievers. pg. 102/103.

iam sequitur ep. 1125 [1], quae scripta esse videtur eo tempore, quo Julianus in Gallia habitabat, et de iisdem rebus agit, quibus epistula 372.

Haec sunt, quae ad rem pertinere videntur: „Heu! „heu! quanto plura habendi studio duceris! in eloquen- „tiae etiam possesionem, aliis praereptam, missus es, „princeps [2]) idem egregius et potens rhetor. Alias „quidem vestri ordinis homines res strenue gerebant; „nos" (rhetores intellegit) „autem eas laudabamus; „nunc unus tu utrumque facis". Deinde Libanius dicit, Julianum, quamvis bello cum barbaris gerendo occupatum, tamen orationibus elaborandis vacasse; tum ita pergit: „*Neque tamen de futuris sollicitus* „*sum:* imo vero clade hac tanquam victoria delec- „tabor. Quando enim victus et vincens amici sunt, „victus quoque victoriae redditur particeps. Amicorum „enim, ut aiunt, omnia sunt communia". [3])

---

[1]) Exstat quoque inter epistulas a Zambicario Latine conversas (l. III. ep. 327. pg. 815 edit. Wolffii). Quae autem Zambicarii epistula nihili aestimanda est; nam qui vertit aut sensum verborum non intellexisse, aut codice valde depravato usus esse videtur.

[2]) Illa vox non de Imperatore accipienda, nam si Julianus tunc Imperator fuisset, Libanius Homericum *βασιλεύς*, non vocabulo *ἄρχων* reddidisset. «Caesarem" intellegit.

[3]) Graece: *Ἰού, ἰού, τῆς πλεονεξίας! καὶ τὸν τῶν λόγων κλῆρον ἁρπάσας ἔχεις, ὁ αὐτὸς ἄρχων τ' ἀγαθὸς, κρατερός τε σοφιστής. Τὸν δέ γε ἄλλον χρόνον ὑμεῖς μὲν ἐπράττετε, ἡμεῖς δὲ ἐπῃνοῦμεν. ἀλλὰ νῦν ἑνὸς ἄμφω.* et deinde: *Οὐ μὴν δέδοικά γε τὸ μέλλον, ἀλλ' ἀσπάσομαι τὴν ἧτταν ὡς νίκην. Ὅταν γὰρ ὅ τε κρατούμενος ὅ τε νικῶν ὦσιν ἐπιτήδειοι,*

Quae verba male interpretatus est v. d. Hecker. Is enim putat [1]), Libanium scripsisse se non sollicitum esse de futuris i. e. de iis, quae Juliano immineant. Libanii vero verba huc referenda esse nego. Sententia verborum haec est: „Neque tamen sollicitus sum quid me futurum sit, h. e. gloriam meam tua obscurari non aegre fero"

Utut id est, in illa epistula de nulla re agit rhetor noster, nisi de orationibus et, ut iam memoravi, epistula in eandem sententiam scripta est atque epistula 372.

Sequitur inter epistulas latine editas ep. 3. libri II [2]. Scripta est post orationem cui *προσφωνητικῷ* nomen est, vel — quod potius crediderim — post orationem in honorem consulatus Juliani habitam, ut ex initio facile intellegitur.

Rogat Julianum Libanius, ut per epistulas se certiorem faceret, si quid postea feliciter gessisset, eo consilio ut id postea orationibus suis insereret. Et revera Julianus, cum expeditionem contra Persas obiret, ei longiorem epistulam misit [3]), qua

---

μετέχει πῶς ὁ νενικημένος τῆς νίκης. Κοινὰ γάρ, φασι, τὰ τῶν φίλων.

[1]) Cf. Hecker l. l. pg. 8: «Ebenderselbe Libanios, der später «behauptet, Julian habe in seiner Erhebung zum Caesar nur eine «Schlinge gesehen, die ihm Constantius legte, versicherte damals, «dass er sich gar keine Sorgen um die Zukunft mache (l. c. 1. 1125: *ου μὴν δέδοικά γε τὸ μέλλον*)"

[2]) pg. 755 ed. Wolff. Hanc epistulam a Libanio scriptam esse, pro certo affirmare non ausim.

[3]) epist. 27.

exercitus iter enarravit. Sed Libanius, cum aliquot annis post mortem Juliani Orationem Funebrem componeret, illa epistula usus non est, ut iam vidit v. d. Hecker. [1])

Epistulam 1037, quae Ἰουλιανῷ inscripta est, consulto praetermisi; non enim ad Imperatorem Julianum data est. V. d. Sievers [2]) hoc sibi persuasum non habet, sed dubitationi hic locus non erit, si secundam periodum inspexeris: „tu vero rhetor quidem „eximius, *vir* autem *sublimidus* eras."

Libanius non tanta amentia esse potuit, ut his verbis Imperatorem Julianum alloqueretur.

Haec fere sunt quae de Juliani scriptis historicis apud Libanium inveni. [3])

Superest ut proferam quae Zosimus de libris Juliani tradidit.

Invenimus apud eum haec [4]):

„Enimvero quae ab eo tempore" (a. 357) „per „omnem deinceps vitam Julianus gessit, ab historia„rum auctoribus et a poetis prolixis descripta libris „leguntur: tametsi nullus eorum, qui haec memoriae „prodiderunt, ipsorum facinorum dignitatem attigerit. „Poterit etiam, qui volet, omnia comprehendere per„legendis ipsius *orationibus* et *epistulis*: de quibus

---

[1]) l. l. pg 15.

[2]) Das Leben des Libanios pg. 246/247.

[3]) aliae epistulae ad Julianum datae, non ad nostrum Julianum, sed ad alios eiusdem nominis viros scriptae sunt.

[4]) l. III. c. 2 § 4.

Utor versione Reitemeieri.

„inprimis ab eo per universum orbem terrarum gesta „colligere licet. Sed quando par est, ut ordinem his„toriae non interrumpamus: a nobis quoque singula, „ratione quadam compendiaria, suis temporibus ex„ponentur: ea praesertim, quae ab aliis omissa vi„dentur." [1])

Recte v. d. Mendelssohn [2]) Heckerum reprehendit, quod hunc locum tam neglegenter verterit. Apud Heckerum autem legimus: „Wer wolle, der könne die „Reden und Briefe Julians selbst zur Hand nehmen, „*und vor allem die Beschreibung die dieser selbst* von „seinen Thaten angefertigt habe." [3])

Zosimus, ut vides, orationes tantum et epistulas Juliani commemoravit, unde omnes res gestas Juliani cognosci posse existimat. Nam summa fide

---

[1]) Graece: *Τὰ μὲν οὖν ἐντεῦθεν ἄχρι παντὸς τοῦ βίου Ἰουλιανῷ πραχθέντα συγγραφεῦσι καὶ ποιηταῖς ἐν πολυστίχοις γέγραπται βίβλοις, εἰ καὶ μηδεὶς τῶν συγγεγραφότων τῆς ἀξίας τῶν ἔργων ἐφίκετο· πάρεστι δὲ τῷ βουλομένῳ συλλαβεῖν ἅπαντα τοῖς λόγοις ἐντυγχάνοντι τοῖς αὐτοῦ καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς, ἀφ᾽ ὧν ἔνεστι μάλιστα τὰ κατὰ πᾶσαν αὐτῷ πεπραγμένα τὴν οἰκουμένην περιλαβεῖν. ἐπεὶ δὲ προσήκει τὴν τάξιν ἡμᾶς μὴ διασπᾶσαι τῆς ἱστορίας, εἰρήσεται καὶ ἡμῖν συντόμως ἕκαστα κατὰ τοὺς οἰκείους καιρούς, καὶ μάλιστα ὅσα τοῖς ἄλλοις παραλελεῖφθαι δοκεῖ.*

[2]) in adn. iam saepius laudata, ad Praefationis Zosimeae pg. XLV.

[3]) Recte Mendelssohn: «libertatem interpolandi, quam veteribus «librariis reservatam fuisse putabamus, ne nunc quidem exolevisse «vides: Juliani enim commentarios frustra ceteri mortales praeter «Heckerum in Zosimi illis verbis quaeremus.»

Julianum dignum putat, neque in mentem ei venit, hunc in orationibus et epistulis deflectere potuisse a veritate, ut suam gloriam augeret et Constantio noceret.

Si igitur omnia scriptorum testimonia comprehendimus, haec invenimus:

1°. Eunapium, praeter opera Juliani, quae adhuc supersunt, novisse et librum quendam de pugna Argentoratensi et epistulam ad Cyllenium, in qua res gestae enarratae essent.

2°. Ammianum commemorasse historiam rerum domi militiaeque gestarum a Juliano ipso conscriptam.

3°. Libanium in ep. 33 ad Julianum data (a. 358) scripsisse se fando audivisse Julianum res suas in Commentarios referre. Accedit quod in oratione cui προσφωνητικῷ nomen est, mense Julio a. 362 habita, rettulit se ab eo petivisse, ut sibi commentarios daret, eumque rerum scriptorem nominavit. Praeterea vidimus, eum in ep. 525 Julianum materiem rogasse longiori orationi in eius honorem elaborandae.

Quamquam non est magna documentorum copia, tamen sufficit, modo probare possim, Ammianum ad expeditiones Juliani Gallicas enarrandas Juliani opere quodam usum esse.

Id Heckero duce facturus sum, cuius tamen ut vestigiis insistam, tantum abest, ut multa aliis argumentis probaturus, nonnulla improbaturus, nova quaedam allaturus sim.

Ammianum in bellis Germanicis enarrandis peculiari quodam fonte usum esse, colligi posse videtur

e primo capite l. XVI. §§ 2 et 3, ubi haec leguntur: „quia igitur res magnae, quas" (Julianus) „per Gallias virtute felicitateque correxit, „multis veterum factis fortibus praestant, singula „serie progrediente monstrabo, instrumenta omnia „mediocris ingenii, si suffecerint, commoturus. Quic„quid autem narrabitur, quod non falsitas arguta „concinnat, sed fides integra rerum absolvit, *docu„mentis evidentibus fulta*, ad laudativam paene mate„riam pertinebit."

Quia in rebus tantum his temporibus gestis conscribendis Ammianus haec documenta optimae notae adhibuit, persuasum mihi habeo eum hic e peculiari quodam fonte hausisse. Ammianus enim ipse expressis verbis declaravit se iudice eas expeditiones multo maioris momenti esse quam quae ante enarrasset. [1]

Deinde ea inspicias velim, quae Heckerus [2]

---

[1]) Cf. l. XV. c. 9. § 1, ubi legimus: «Proinde quoniam — ut Mantuanus vates praedixit excelsus — *maius opus moveo*, «maiorque mihi rerum nascitur ordo» et qu.s.

[2]) pg. 47, ubi legimus: «Ammian sagt beim Beginn der Dar«stellung der Thaten Julians (15. 1. 1.): «Utcunque potuimus ««verum scrutari, ea quae videre licuit per aetatem, vel perplexe ««interrogando versatos in medio scire, *narravimus* ordine casuum ««exposito diversorum»: Diese Art zu arbeiten, die man ihm auch «für Julian zugeschrieben hat, bezieht sich nur auf die Zeit vor «diesem. «residua», fährt er fort, «quae secuturus aperiet textus, pro ««virium captu limatius absolvemus, nihil obtrectatores longi, ut ««putant, operis formidantes. tunc enim laudanda est brevitas, cum ««moras rumpens intempestivas nihil subtrahit cognitioni ges««torum». Er will also die Geschichte so ausführlich darstellen,

rectissime disputavit de initio libri XV Ammiani ex quibus luculentissime apparet, quantum ea, quae Ammianus de Juliani rebus gestis rettulerit, ab iis, quae apud eum in priore operis parte legantur, distent.

Iam locos quosdam Ammiani tractabo, quibus ostendi mihi videtur, Ammianum pleraque ex Juliani scriptis sumpsisse:

Ammian XV. 2. 8.	Juliani ep. ad. Athen.
(Julianus) „nefando „adsentatorum coetu „*perisset* urgente, *ni* „*adspiratione superni* „*numinis* Eusebia suf-„fragante cet."	pag. 273 A: *ὥστε, εἰ μὴ θεῶν τις ἐθελήσας με σωθῆναι τὴν καλὴν καὶ ἀγαθὴν τὸ τηνικαῦτά μοι παρέσχεν εὐμενῆ Εὐσεβίαν, οὐδ' ἂν ἐγὼ τὰς χεῖρας αὐτοῦ τότε διέφυγον.*

Etsi satis manifestum est, Ammianum hoc loco totum e Juliano pendere, tamen dubitari potest, num is locus ex epistula ad Athenienses petitus sit; nam ut mox videbimus, veri simile non est Ammiano illam epistulam notam fuisse. Accedit quod quae Ammianus paulo ante rettulit de criminibus in Julianum illatis, in epistula ad Athenienses non inveniuntur. Licet igitur statuere totam hanc narrationem ex alio libro Juliani fluxisse.

Ammian. XV. 8. 17.

„Susceptus denique ad consessum vehiculi recep-

«als er sie kennt; und er will hier ausführlicher werden, weil er eine ausführlichere Quelle hat.»

„tusque in regiam hunc versum ex Homerico carmine „susurrabat:

„ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή"

Haec nisi ex Juliani Commentariis Ammianus comperta habere non potuit. Eadem fere animi affectio cognoscitur ex his verbis Ammiani: [1]) (nuntius) „indicabat autem Coloniam Agrippinam . . . . deletam. „Quo maerore perculsus velut primo adventantium „malorum auspicio murmurans querulis vocibus saepe „audiebatur: nihil se plus adsecutum, quam ut „occupatior interiret."

Cum his verbis conferenda sunt quae Julianus in epistula ad Athenienses scripsit [2]): καὶ τὴν Ἀθηνᾶν ἱκετεύων σώζειν τὸν ἱκέτην καὶ μὴ ἐκδιδόναι, πολλοὶ τῶν παρ' ὑμῖν ἑορακότες εἰσί μοι μάρτυρες, αὐτὴ δὲ ἡ θεὸς πρὸ τῶν ἄλλων, ὅτι καὶ θάνατον ᾐτησάμην παρ' αὐτῆς Ἀθήνησι πρὸ τῆς τότε ὁδοῦ.

In epistula quam cum Mediolani degeret ad reginam scripsit, sed non misit [3]), eadem malorum futurorum praesensio invenitur: οὕτω παισὶ χρήσαιο κληρονόμοις, οὕτω τὰ καὶ τὰ θεός σοι δοίη, πέμπε με οἴκαδε τὴν ταχίστην.

Praeterea de primis annis Gallicae peregrinationis haec testatur Julianus [4]): ἡ δὲ ἐπὶ τούτῳ δουλεία καὶ τὸ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ὑπὲρ αὐτῆς τῆς ψυχῆς ἐπικρεμάμενον δέος Ἡράκλεις ὅσον καὶ οἷον.

---

[1]) XV. 8. 19/20.

[2]) Sp. pg. 275 A.

[3]) pg. 275 C.

[4]) pg. 277 A.

Nemo non videt Ammianum locis supra memoratis, quibus optime exposuerit, quo animo Julianus iis temporibus affectus esset, hunc ipsum auctorem habere.

Sed iam audi, quo modo Ammianus tradiderit [1]), Coloniam a barbaris captam esse: (Julianus) „Taurinos pervenit, ubi nuntio percellitur gravi. . . . „indicabat autem, *Coloniam Agrippinam, ampli nominis urbem in secunda Germania*, pertinaci barbarorum obsidione reseratam magnis viribus et deletam."

Capite quinto autem Ammianus copiose disseruerat de Colonia, eamque non semel nullis epithetis additis nominaverat [2]), at nunc putat sibi addendum esse, eam fuisse magnam urbem in secunda Germania. Scilicet id additamentum reppererat in Commentariis Juliani, quos hoc loco latine vertere eum non puduit [3]).

Locus qui sequitur luculenter nobis ostendet, quae Juliani scripta Ammianus noverit, quae ignoraverit. Libro XVI c. 1. § 5 narrat Juliani iuventutem ignotam esse: „et quoniam, ut Tulliana docet auctoritas, omnium magnarum artium sicut arborum altitudo nos delectat, radices stirpesque non item, *sic praeclarae huius indolis rudimenta tunc multis obnubilantibus tegebantur*, quae anteferri gestis eius postea „multis et miris hac ratione deberent, quod adulescens primaevus ut Erechtheus in secessu Minervae

---

[1]) 1. 1,

[2]) Amm. XV. 5. §§ 15. 24. 35.

[3]) Cf. quae hac de re scripsit v. d. Hecker pg. 12.

„nutritus ex academiae quietis umbraculis, non e „militari tabernaculo in pulverem Martium tractus, „strata Germania" e. q. s.

Ammianus igitur se valde poenitere asseverat, quod de Juliani iuventute nihil cognitum habeat nisi haec: Julianum nulla rei militaris scientia imbutum Athenis statim ad castra vocatum esse.

Cum autem in epistula ad Athenienses Julianus multa tradiderit de sua iuventute, is locus documento esse potest Ammiano illam epistulam notam non fuisse.

Iam intellegitur quam ob rem Ammianus narrare supersederit, anno demum 357 summam imperii Juliano traditam esse, quod et Julianus in epistula ad Athenienses [1]) et omnes scriptores, qui ex hac epistula hauserunt, rettulerunt. [2])

Id sane nobis tradidit Ammianus [3]), initio huius anni Severum magistrum militum factum esse, qui Juliano in omnibus rebus obsequeretur: „eum recta „praeeuntem secuturus ut ductorem morigerus miles". Quod etsi ad rem haud multum pertinet, tamen res aliter tradita ostendit Ammianum epistulam ad Athenienses non cognovisse.

Quod si verum est, consensus, qui non uno loco

---

[1]) pg. 278 D: *δίδωσί μοι τῶν στρατοπέδων τὴν ἡγεμονίαν ἦρος ἀρχῇ.*

[2]) Liban. in Orat. Funebri pgg. 536 et 538.
Zosimus l. III c. 2. § 3.

[3]) l. XVI. c. 11 § 1.

exstat inter Ammianum et eam epistulam, eo magis notandus est. Magno est argumento, fuisse quondam Commentarios, unde fluxerit Ammianea relatio. Etenim veri simile est, Julianum in his duobus libris, quorum alterum alteram ob causam scripsit, non omnia dissimili ratione tractasse.

Hoc si statuimus, locus Ammiani, qui est de iuventute Juliani [1]), nullam difficultatem praebet. Etenim in Commentariis, quos Ammianus, cum opus suum conscriberet, inspexerat, perpauca tantum de iuventute sua memoravit Julianus. Initio huius libri Julianus narrasse videtur, se e Graecia arcessitum et Caesaris nomine ornatum in Gallias esse missum, praemissis fortasse nonnullis de caede fratris et de criminibus ei illatis. [2]) Praeterea veri simile est, eum paucis causam exposuisse, cur in Galliam missus esset. [3])

Supra vidimus, Julianum iam a. 358 Commentarios rerum suarum scribere instituisse, cum etiam-

---

[1]) l. XVI c. 1 § 5.

[2]) Cf quae de his rebus supra memoravi.

[3]) Cf. Ammian. l. XV. c. 8 § 1. quem locum ex Commentariis desumptum esse multa demonstrant indicia: «Constantium vero «exagitabant adsidui nuntii deploratas iam Gallias indicantes .... «aestuansque diu, qua vi propulsaret aerumnas ipse in Italia «residens ut cupiebat — *periculosum enim existimabat se in partem «contrudere longe dimotam* — repperit tandem consilium rectum» e. q. s.

Idem fere Libanius, quem totum pendere a Juliano non ignoramus, in oratione funebri tradidit (R. I pg. 534): *τοῖς μὲν αὐτοῦ κινδύνοις ἐξελάσαι τοὺς κωμάζοντας οὐκ ἐτόλμα.*

tum Constantio familiarissime utebatur. Quia tamen a. demum 362 confecti sunt, nihil impedit quominus statuamus, eum illos commentarios postea amplificasse et addidisse quae Constantii famae nocere possent.

Sed in argumentatione mea longius processisse mihi videor, qui pro vero acceperim quae nondum satis probata sint. Ad propositum igitur revertar.

Legimus apud Amm. l. XVI c. 2 §§ 1 et 2: „Agens itaque negotiosam hiemem apud oppidum „ante dictum" (Viennam) ..... comperit Augusto„duni ..... muros ... barbarorum impetu repentino „insessos, torpente praesentium militum manu vete„ranos . ... defendisse ..... *Nihil itaque remittenti„bus curis*, *ancillari adulatione posthabita*, *qua eum „proximi ad amoenitatem flectebant et luxum*, satis „omnibus comparatis, octavum kalendas Julias Au„gustodunum pervenit *velut dux diuturnus viribus „eminens et consiliis* per diversa palantes barbaros „ubi dedisset fors copiam adgressurus."

Haec narratio quantum distat ab iis, quae Julianus de primo expeditionum adversus Germanos anno nos docuit in epistula ad Athenienses! Legimus ibi [1]): „cum trecentis et sexaginta militibus proficisci me in „Gallias, quae tum erant perturbatae, media hieme „iussit: *non ut provinciae illius exercitibus imperarem „magis quam ut illorum ducibus subessem.* Scriptum „enim ad illos fuerat ac plane aperteque mandatum,

---

[1]) pg. 277 D.

„ut non a me minus quam ab hoste ipso caverent, „ne quid novarum rerum aggrederer. His ad eum, „quem dixi, modum perfectis circa solstitium aesti- „vum proficiscendi ad exercitus facultatem mihi con- „cedit, habitum et imaginem ipsius circumlaturo. „Nam et illud adiecerat, dare se Gallis non impera- „torem, sed qui suam imaginem ferret." [1])

Habemus igitur de primo expeditionis anno duas plane diversas narrationes. Altera, quae apud Ammianum invenitur, facit Julianum ducem et imperatorem, aulicis, quominus proficisceretur impedire conantibus, repugnantem [2]); in altera narratione in Juliano, quamvis Caesaris nomine ornato, nulla auctoritas est.

Cum autem cum his duabus narrationibus comparaverimus quae Libanius memoriae prodidit, inveniemus illum utramque relationem cognovisse easque in orationibus suis stulte et insipide adhibuisse.

---

[1]) Graece: *τριακοσίους ἑξήκοντά μοι δοὺς στρατιώτας εἰς τὸ τῶν Κελτῶν ἔθνος ἀνατετραμμένον ἔστειλε, μεσοῦντος ἤδη τοῦ χειμῶνος οὐκ ἄρχοντα μᾶλλον τῶν ἐκεῖσε στρατοπέδων ἢ τοῖς ἐκεῖσε στρατηγοῖς ὑπακούσοντα. ἐγέγραπτο γὰρ αὐτοῖς καὶ ἐνετέταλτο διαρρήδην οὐ τοὺς πολεμίους μᾶλλον ἢ ἐμὲ παραφυλάττειν, ὡς ἂν μὴ νεώτερόν τι πράξαιμι. τούτων δὲ ὃν ἔφην τρόπον γενομένων, περὶ τὰς τροπὰς τὰς θερινὰς ἐπιτρέπει μοι βαδίζειν εἰς τὰ στρατόπεδα τὸ σχῆμα καὶ τὴν εἰκόνα περιοίσοντι τὴν ἑαυτοῦ· καὶ γάρ τοι καὶ τοῦτο εἴρητο καὶ ἐγέγραπτο, ὅτι τοῖς Γάλλοις ου βασιλέα δίδωσιν, ἀλλὰ τὸν τὴν ἑαυτοῦ πρὸς ἐκείνους εἰκόνα κομιοῦντα.*

[2]) Cf. verba allata «ancillari adulatione posthabita».

In oratione eius in honorem Juliani consulatus, Kalendis Januariis anni 363 habita, legimus[1]: „profectus igitur ex Italia cum militibus minus quadringentis, media hieme.... [2]), hieme utebatur ad „consultandum. Cum autem aestate appropinquante „ipse vocabat et cogebat et instruebat et timentes „cohortabatur, at contra studio eius repugnabant „praefecti alarum et centuriones et tribuni *jussa „imperatoris perficientes*, rex noster ante victoriam „armis partam, victoriam reportavit continentia et „clementer id ferendo."

Dubium esse non potest quin hic duos, de quibus supra egi, fontes contaminaverit Libanius. Ut autem melius appareat, quo modo id fecerit, iuxta Graecum textum Libanii eos locos Juliani et Ammiani dabo, qui Libanii verbis consentire videntur.

Liban. I pg. 379:	Julian. ep. ad. Ath. pg. 277 D:
ὁρμηθεὶς τοίνυν ἐξ Ἰταλίας σὺν ὁπλίταις ἐλάττοσιν ἢ τετρακοσίοις, ἐν ἀκμῇ τοῦ χειμῶνος.	*τριακοσίους ἑξήκοντά μοι δοὺς στρατιώτας, εἰς τὸ τῶν Κελτῶν ἔθνος ἀνατετραμμένον ἔστειλε, μεσοῦντος ἤδη τοῦ χειμῶνος.*
τὸν χειμῶνα ἀνήλισκεν εἰς βουλήν. ὡς δὲ τῆς ὡραίας ἐπὶ τὰ ἔργα καλούσης, ἐβόα μὲν αὐτὸς καὶ συνῆγε, καὶ συνεκρότει, καὶ παρεθάῤ-	Amm. XVI, 2. 1. „agens „itaque negotiosam hiemem . . . . ." Amm. XVI, 2. 2: nihil itaque remittentibus curis,

[1]) I pag. 379.

[2]) Nonnulla praetermisi, quae non sunt huius loci.

ῥυνε τοὺς ἐπιτηχόνιας, ὑπεσκέλιζον δὲ τὴν ὁρμὴν ἵππαρχοι καὶ λοχαγοὶ καὶ ταξίαρχοι,

πληροῦντες ἐντολὰς δεσπότου,

νικᾷ νίκην ἡμῖν ὁ βασιλεὺς πρὸ τῆς ἐν τοῖς ὅπλοις τὴν ἀπὸ τῆς καρτερίας, καὶ τοῦ ταῦτα πρᾴως ἐνεγκεῖν.

ancillari adulatione posthabita, qua eum *proximi* ad amoenitatem flectebant et luxum .... Augustodunum pervenit, velut dux diuturnus viribus eminens et consiliis. Julian. ep. ad Ath. pg. 277 D: *ἐγέγραπτο γὰρ αὐτοῖς καὶ ἐνετέταλτο διαρρήδην κτλ.*

Jul. ep. pag. 278 C: *ἔγωγε ἐνομίσθην ἥκιστα σπουδαῖος καὶ δεινὸς στρατηγὸς, ἅτε πρᾷον ἐμαυτὸν παρασχὼν καὶ μέτριον. οὐ γὰρ ᾤμην δεῖν ζυγομαχεῖν οὐδὲ παραστρατηγεῖν, εἰ μή πού τι τῶν λίαν κτλ.* et paulo post: *ἅπαξ δὲ καὶ δεύτερον οὐ καθηκόντως μοί τινων χρησαμένων, ἐμαυτὸν ᾠήθην χρῆναι τιμᾶν τῇ σιωπῇ.*

Libanius in priore eius narrationis parte inducit Julianum ipsum omnia obeuntem et molientem et bella cientem, in altera Julianus adversariis impar, omnes iniurias quae ei duces iussu imperatoris inferunt, aequo animo fert.

Ceterum hic locus etiam argumento esse potest,

Commentarios Juliani extremis mensibus a. 362 esse editos; sin minus, qui iis Kalendis Januariis a. 363 uti potuit Libanius?

Sed Libanium eos Commentarios *commemorasse* in oratione in honorem Juliani consulatus habita Heckerus asseverat [1], equidem nego. Libanius I. p. 400 orationes omne genus nec non poeticas exercitationes Juliani enumerat, de Commentariis plane tacet.

Eosdem fontes contaminatos invenimus in oratione funebri Libanii I pg. 536—538; sed hic Commentarii iam saepius adhibiti sunt [2]. neque tamen epistula ad Athenienses neglecta est; nam quamquam in hac oratione Julianus ubique ducis munere fungitur, tamen de eo haec leguntur [3]: *νῦν δ' ὁ μὲν ἦν πάντων ἄκυρος, πλὴν τῆς χλαμύδος, οἱ στρατηγοὶ δὲ κύριοι,* quae verba ex epistula ad Athenienses hausta sunt. Legimus enim ibi [4]: *καὶ τοῦ λοιποῦ τὴν χλανίδα περιέφερον καὶ τὴν εἰκόνα· τούτων γὰρ τὸ τηνικαῦτα διενοούμην ἀποπεφάνθαι κύριος* [5].

Pag. 538 his verbis describitur quomodo Julianus summam imperii adeptus sit: *ὡς δ' ἀπήλλακτο ὁ τοὺς πολεμίους μὲν δεδιὼς στρατηγὸς, εἰς δὲ τοὺς οἰκείους ὑβρίζων* (Marcellum dicit), *ἧκε δὲ διάδοχος* (Severus),

---

[1]) Heckerus scribit pag. 22: »Auch in der Rede εἰς Ἰουλ. hatte »Libanios unsere Quelle" (Commentarios putat) »vor sich, *wie er »selbst sagt.*".

[2]) Cf. Hecker pg. 22—24.

[3]) pg. 536.

[4]) Jul. pg. 278 D.

[5]) Cf. Hecker pg, 25.

ἀνὴρ τά τε ἄλλα βέλτιστος, καὶ πολέμων οὐκ ἄπειρος, καὶ τῶν κωλυμάτων τὰ πολλὰ ἐπέπαυτο, τότε δή, τότε τῷ βασιλεῖ καιρὸς ἐπιδείξεως ἀκριβοῦς παρῆν.

Ex his verbis magnificis et speciosis apparet quidem, Libanium epistulam ad Athenienses ibi adhibuisse [1] — apud eum Julianus tum demum res magnas atque illustres molietur, cum summa imperii ei data erit — sed res gestae, quae ibi memorantur, maximam partem ex Commentariis fluxerunt; cf. Amm. XVI. 7. 1. XVI. 10. 21: „unde misso in locum Marcelli „Severo bellorum usu et maturitate firmato," et XVI. 11. 1: „At Caesar . . . properavit alacrior „magisque laetus, quod exercitum regebat Severus „nec discors nec adrogans, sed longa militiae fruga„litate compertus et eum recta praeeuntem secuturus „ut ductorem morigerus miles" [2]).

Quae Heckerus pg. 24 dixit de consensu, qui inter Amm. XVI. 11. 9. et Liban. pg. 537 exstat — de hostibus ex Rheni insulis depulsis — ea ab omni parte vera esse mihi videntur. Uterque scriptor ex eodem fonte hausit, sed solito more Libanius — consulto an socordia id diiudicare nolo — eo fonte perperam usus est.

Iam redeo ad caput secundum libri XVI Ammiani, qui § 10 eam pugnam refert, de qua Libanius quoque agit [3]. Quod autem eandem rem plane diverse

---

[1]) Cf. Jul. ep. ad Athen. pg. 278 B et D.

[2]) Cf. Hecker pg. 26.

[3]) I pg. 537.

enarrant, nolim facere cum Heckero contendenti [1]) etiam hunc locum documento esse posse, fuisse quondam Juliani Commentarios; quamquam non nego, argumentum inde sumi non posse ad probandum, eos numquam exstitisse.

Sic Heckeri disputatio quoque, qua probare conatur inter Ammian. XVI. 2, 12 et 3, 1 et Liban. pg. 537 consensum quendam exstare, subtilior est quam verior.

Nam nec Libanii verba recte describit — sed id fortasse typothetarum errori tribuendum est — et ea omisit, quae de altera urbe Libanius narravit.

Totum locum igitur hic exscribam:

Καὶ μὴν δυοῖν πόλεων ταῖν μεγίσταιν, τὴν μὲν εὑρὼν μυρίαις προσβολαῖς κεκακωμένην, τὴν δ' ἔναγχος ἐφόδῳ μιᾷ κεκενωμένην (non, ut apud Heckerum *κεκακωμένην*) *τε καὶ κειμένην* (h. e. Colonia), *τῇ μὲν* (Coloniae) *χεῖρα ὤρεξεν εἰς ἀνάστασιν, καὶ φρουρὰν ἐγκατέστησε. τὴν δ' ἀπειρηκυῖαν τοῖς ἅπασιν, ὥστε καὶ ὅθεν οὐ νόμος ἀναγκασθῆναι τραφῆναι, παρεμυθήσατο ταῖς ἀμείνοσι τῶν ἐλπίδων.*

Prior urbs Colonia est, quae decem mensibus postquam una tantum oppugnatione a barbaris capta est, recepta est a Juliano [2]), alteram Tillemontius [3]) Augustam Trevirorum aut Tungros fuisse putat. Si

---

[1]) Hecker pg. 24.

[2]) Amm. XVI. 3, 2.

Julian ep. ad Athen. pg. 279 B.

[3]) IV pg. 170 ed. Bruxellensis a. 1732.

autem Libanii verbis ulla auctoritas tribuenda esset (quod nego), ego quoque conicerem haec aut ad Augustam Trevirorum aut ad Mettem (Divodurum) aut ad Vesontionem aut ad aliud quoddam oppidum, quod Ammianus non memoraverit, referenda esse; sed quod scimus, omnia, quae rettulerit Libanius, hausta esse vel ex Juliani Commentariis, eademque reperiri apud Ammianum, vel ex illius epistula ad Athenienses fluxisse, non est, cur eius narrationi quidquam tribuamus. Minime autem Brocomagus (Brumath) intellegendus est, ut Heckero placere videtur, nam haec urbs iam capta fuit a barbaris [1]). Urbs vero de qua agit Libanius, ab hostibus commeatu intercludebatur, expugnata igitur non fuit.

Si autem coniecturam facere licet, Senones significasse Libanium crediderim, quia Julianus a. 356, dum apud eos hibernat, per 30 dies a barbaris obsessus est [2]). Tam perversa rerum interpretatio enim non semel apud Libanium occurrit.

Loco Ammiani, quem iam supra memoravi, qui est l. XVI. c. 2 § 12, nonnulla inveniuntur, quae in epistula quoque ad Athenienses enarrantur [3]). Apud Ammianum haec leguntur: „audiens. . . . civitates „barbaros possidentes territoria earum habitare — „nam ipsa oppida ut circumdata retiis busta declinant" et q. s.

---

¹) Cf. Amm. XVI. 2. 12.

²) Cf. Amm. XVI. c.c. 3 et 4.

³) pg. 278 D.

Julianus autem l.l.: *πολλῶν πάνυ Γερμανῶν*, ait, *περὶ τὰς πεπορθημένας ἐν Κελτοῖς πόλεις ἀδεῶς κατοικούντων.*

Quamquam magnus consensus exstat inter ea, quae Julianus et Ammianus de hac re scripserunt, tamen non inde colligendum est, Ammianum hic ex Juliani epistula ad Athenienses hausisse, nam de bustis, retibus circumdatis, de quibus Ammianus agit, Julianus in epistula ad Athenienses plane tacet. Julianus bis eundem illum peculiarem morem Germanorum commemoravit, idque copiosius in Commentariis suis, in quibus multa sunt, quae eum adducant, ut de eiusmodi rebus disputet.

Ceterum Julianus in epistula ad Athenienses paucissimis quidem, sed tamen satis accurate res suas rettulisse videtur. Necesse tamen est, ut semper diligenter inquiramus in ea. quae narret; nam artem facta ita disponendi, ut gloriam suam augeat, Constantii famae obtrectet, egregie callet. [1])

Iam sequitur Amm. XVI. c. 3 § 1:

„Nullo itaque post haec repugnante ad recuperan„dam ire placuit Aggrippinam ante Caesaris in Gal„lias adventum excisam, per quos tractus nec civitas „ulla *visitur* nec castellum nisi quod apud Confluen„tes .... Rigomagum oppidum *est*, et una prope „ipsam Coloniam turris."

Acutissime Heckerus in alia commentatione, cui titulus: „die Alamannenschlacht bei Straszburg" [2]), de

---

[1]) Cf. de perturbata temporum ratione Petavium in adnotationibus ad Jul. ep. ad Athen. pg. 278 D (pg. 99 editionis Spanhemii).

[2]) In Fleckeiseni Annalibus 1889. Vol. I pag. 68 adnot.

eo loco ita disputat: „recht beachtenswert ist in den „worten *per quos tractus nec civitas ulla visitur nec „castellum* das präsens, während das andere im per„fect erzählt wird. Zwei jahre später hätte das präsens „nicht mehr gepasst, ebenso wenig passt es für die „zeit, in der Ammianus schrieb. Dasz trotzdem das „präsens stehen geblieben ist, ist characteristisch für „seine art zu arbeiten: er hat seine vorlage einfach „übersetzt."

Neque mihi unquam satis perspicuum fuit, quare in his enarrandis Ammianus praesenti tempore usus esset. Forsitan hoc modo difficultates enucleari possint. Notum est Ammianum anno 356 in Gallia militasse et expeditioni huius anni interfuisse. Cf. Amm. XVI. 2. 8: „cui" (sc. exercitui) „praesidebat „Ursicini successor Marcellus, et ipse Ursicinus ad „usque expeditionis finem agere praeceptus isdem in „locis." Ammianus autem sub Ursicino militavit. [1])

Fortasse igitur, cum multis annis post scriberet, ea memoriter Commentariis addidit. Ita quidem intellegere possumus, qui factum sit, ut Rigomagum appellaret oppidum prope Confluentes situm. Si haec continuo post ipsam expeditionem vel ex unius duorumve annorum intervallo scriptis mandata essent, talis error committi non potuit praesertim cum accuratissime urbes in Germania Superiore vel Prima sitae ordine enumeratae sint [2]). Praeterea Ammianus amat

---

[1]) Cf. Amm. 5. 22. XVI. 10. 21.

[2]) Cf. Amm. XVI. 2. 12.

ea, quae ipse vidit et usu expertus est, historiis suis inserere; cuius moris multa exempla afferri possunt. [1]) Rectissime Heckerus [2]) mihi videtur disputasse de pace a Juliano cum Francis composita (Amm. XVI. 3. 2.) quam Libanius more suo perperam tradidit. Attamen ne hic quidem Heckerus satis accurate locum Libanii attulit. Leguntur apud eum haec: „Libanius 538: σπένδεται βραχύν τινα χρόνον ποιῶν „αὐτὸν (sc. den König) ἐπιεικέστερον τῷ φόβῳ τῶν δευ- „τέρων ..... οὔπω τοῦ πᾶν, ὃ διανοηθείη πράττειν εἰς „ἐξουσίαν ἥκων."

Sic verba: οὔπω ..... ἥκων tantum pertinent ad σπένδεται κτλ. At apud Libanium haec praecedunt: ταυτὶ μὲν οὖν καὶ ἔτι πλείω τούτων τὴν χώραν ἐπιὼν ἴσχυσεν.

Vox illa ταυτὶ pertinet ad omnia, quae Libanio auctore hoc anno bene gesserat Julianus h. e. servatum Augustodunum (pg. 536 vs. 20), victoriam reportatam (pg. 537 vs. 9), quae revera clades fuit [3]), barbaros ex insulis Rheni eiectos (pg. 537 vs. 17), Coloniam receptam, Senones servatas, pacem cum Francis factam.

Longa haec rerum gestarum series repugnat verbis supra allatis (pg. 536 vs. 8): νῦν δ' ὁ μὲν ἦν πάντων ἄκυρος, et luce clarius ostendit Libanium hic duos fontes permiscuisse.

---

[1]) Cf. e. g. Amm. XVIII. c.c. 7 et 8.

[2]) pg. 24/25.

[3]) Cf. Amm. XVI. 2. 10.

Iam venio ad locum Ammiani, qui est XVI, 12, 15—17, quo accuratius considerato primum mihi persuasi Heckerum verum vidisse [1].

Enarrat ibi pugnam Argentoratensem a. 357 factam et refert milites proelium committere voluisse, recordantes barbaros anno superiore fusos ab imperatore pacem petiisse. Deinde multis disserit de expeditione quadam Constantii, cuius antea nullam mentionem fecerat.

Eam expeditionem revera factam esse anno 356 iam satis constat. Primus enim Tillemontius [2] rem explicavit, et post eum Clintonus [3] expeditionem suo anno adscripsit, ita ut necesse non sit eam hic pluribus enarrare. [4]

Quid tandem Ammianum adduxit, ut de ea expeditione, ubi memorata opus esset, plane taceret, at loco alienissimo ita dissereret, quasi supra eam copiosius enarrasset? Haec controversia dirimi non potest, nisi statuimus Ammianum in historiis suis conscribendis usum esse peculiari quodam fonte, in

---

[1]) Optime Heckerus de eo loco egit pg. 25/26. et in commentatione «*die Alamannenschlacht*» pg. 70.

[2]) *Histoire des Empéreurs* IV pg 171[a] et pg. 289[b] editionis Bruxellensis a. 1732.

[3]) *Fasti Romani* I s a. 357 pg. 435/437.

[4]) Expeditionem re vera susceptam esse a. 356, ut alia omittam, ex his verbis apparet: «Caesare proximo nusquam elabi permittente.» (Amm. XVI. 12. 16.) Julianus (Caesar) enim ante a. 356 in Gallia non fuit.

quo Juliani res gestae tantum tractatae sint. Quem fontem librum quendam fuisse a Juliano conscriptum, quis est quin mihi concedat?

Juliani nihil intererat, ut res ab adversario gestas praedicaret, quas eo solo consilio commemoravit, ut ostenderet, se a. 357 multo deteriore loco fuisse, quam quo Constantius anno priore fuisset. [1]).

Id ei vitio vertere non possumus, quia suas tantum res enarrare voluit; sed eo magis Ammianus vituperandus est, qui historiam totius imperii Romani scribens, non viderit, auctorem suum non sine ira et studio res rettulisse.

Jam satis luculenter demonstrasse mihi videor, Ammianum ex Commentariis Juliani hausisse; ceterum lectorem ad Heckeri libellum delego, qui, quanquam hic illic nimis subtilia argumenta adhibet, tamen firmissimis argumentis probavit, Ammianum et Libanium etiam in sequentibus enarrandis eodem fonte usos esse.

Non possum tamen non exscribere locos aliquot, quos ex multis, qui ab Heckero laudantur, elegi.

Amm. XVI. 11. 11.	Liban. I pg. 539.
„et opus spe celerius „consummavit et victum „defensoribus ibi locan„dis ex barbaricis mes„sibus non sine discri-	ὁ βασιλεὺς δὲ ἐνεπίμπλη πυρῶν καὶ φρουρία καὶ πόλεις ἀπὸ τῶν ἐκείνοις εἰργασμένων λῃΐων, ταῖς τῶν στρατιωτῶν χερσίν.

---

[1]) Cf. Amm. XVI. 12. 16: «Sed nullus mutatam rationem temporis advertebat, quod tunc» e. q. s.

„minis metu collectum „militis manu condidit „ad usus anni totius." (Cf. Hecker pg. 28).	
Amm. XVII. 8. 4: „dictoque citius secutus „profectos Severo duce „misso per ripam subito „cunctos adgressus tan- „quam fulminis turbo „perculsit cet."	Liban. I pg. 546. εὐθὺς στρατεύει. καὶ περὶ τὸν ποταμὸν ἀστράψας ἔθνος ὅλον οὕτως ἐξέπληξεν, κτλ. Cf. Hecker pg. 35.

Amm. XVIII. 2. 7 = Liban. pg. 551. (Cf. Hecker pg. 38).

Amm. XX. 4. 1. „Constantium . . . . ure- „bant Juliani virtutes." (Cf. Hecker pg. 39/40).	Liban. 552. ἦλθεν ἐπ' αὐτὸν (Julianum) φθόνος.

Quae cum ita sint, statuimus:

1°. fuisse quoddam opus historicum Juliani, quod nunc plane perierit.

2°. Ammianum ad res a Juliano in Gallia gestas enarrandas peculiari quodam fonte eoque uberrimo [1]), quem ipse optimum esse iudicaverit [2]), usum esse.

[1]) Cf. Amm. XV. 1. 1.

[2]) Cf. Amm. XVI. 1. 3.

3°. hunc fontem non fuisse epistulam ad Athenienses, quippe quam Ammianus cognitam non habuerit.

4°. Ammianum et Libanium eundem auctorem secutos esse, qui solas res Juliani enarraverit, Constantii silentio praetermiserit.

5°. Libanium praeterea epistula ad Athenienses usum esse, quo factum esse, ut saepe res narraret, quae sibi ipsae repugnarent.

Discrepantiae autem, quae exstant inter fontem, de quo agimus, et epistulam ad Athenienses, argumento esse non possunt, Commentarios illos non exstitisse, nam:

1°. illa epistula apologiae loco est et raptim [1]) composita,

2°. in eadem epistula multa inveniuntur, quae nobis ostendunt, Julianum, quo tempore eam scriberet, acerbissimo odio in Constantium arsisse. Quae inimicitiae cum ante id tempus inter eos non exsti-

---

[1]) Multa exempla extant, quae documento sunt, Julianum non satis operae impendisse, ut quam optime hanc epistulam conscriberet. Saepe enim verborum series temere interrumpitur longis sententiis. Cf. e. g. Ep. ad Athen. pg. 271 A et B:

μετεμέλησε γάρ αυτῷ, φασί, ...

et: *ταῦτα ἐθρύλουν οἱ περὶ τὴν αὐλὴν τότε . . . . .*

et: *ὅπερ οὖν ἔφην, ἔλεγον τοσαῦτα . . . . .*

et: *τοσαῦτα ἡμῖν ἐπῆδον.*

et pg. 273 B et C:

ὡς οὖν ἀποφυγὼν ἐκεῖθεν ἄσμενος ἐπορευόμην ἐπὶ τὴν τῆς μητρὸς ἑστίαν . . . . .

. . . . . πορευομένου δὲ λοιπὸν ἐπὶ τὴν ἑστίαν κτλ.

terint, tum de Constantio mortuo Julianus multo lenius aequiusque iudicavit. [1])

Commentarii autem — fons, e quo Ammianus et Libanius hauserunt — scripti sunt a Juliano, non ut Constantio invidiam conflaret, sed ut rerum gestarum rationes redderet, suamque gloriam augeret. Commentarios scribere coepit quo tempore Constantio familiariter utebatur; eosdem confecit post Constantii mortem, cum non esset cur Julianus de Constantio falsa referret. Non est igitur quod miremur, discrepantias nonnullas exstitisse inter duo illa Juliani opera.

Hisce igitur omnibus perspectis atque perpensis, statuendum videtur omnes scriptores — qui quidem aliquo numero putandi sint — qui res a Juliano in Gallia gestas enarraverint, fere omnia ex ipsius Juliani scriptis hausisse.

---

[1]) Cf. e. g. Juliani epistulam XXIII ad Hermogenem datam (Sp. 389 D): *Δός μοί τι κατὰ τοὺς μελικτὰς εἰπεῖν ῥήτορας, Ὢ παρ' ἐλπίδα σεσωσμένος ἐγώ, ὢ παρ' ἐλπίδας ἀκηκοώς, ὅτι διαπέφευγας τὴν τρικέφαλον ὕδραν, οὔ τι μὰ Δία τὸν ἀδελφόν φημι Κωνστάντιον· ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν ἦν οἷος ἦν· ἀλλὰ τὰ περὶ αὐτὸν θηρία πᾶσιν ἐποφθαλμιῶντα, ἃ κἀκεῖνον ἐποίει χαλεπώτερον, οὐδὲ τὸ καθ' ἑαυτὸν παντάπασι πρᾷον, εἰ καὶ ἐδόκει πολλοῖς τοιοῦτος. ἐκείνῳ μὲν οὖν, ἐπειδὴ μακαρίτης ἐγένετο, κούφη γῆ, καθάπερ λέγεται. κτλ.*

THESES.

THESES.

I

Demosth. Olynth. I. 8:

οὐ δεῖ δὴ τοιοῦτον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, παραπεπτωκότα καιρὸν ἀφεῖναι, οὐδὲ παθεῖν ταὐτὸ ὅπερ ἤδη πολλάκις [πρότερον πεπόνθατε].

Eicienda sunt verba, quae uncinis inclusi.

II.

Demosth. Olynth. II. 25:

ἴστε γὰρ δήπου τοῦθ', ὅτι μελλόντων αὐτῶν, ἑτέρους τινὰς ἐλπιζόντων πράξειν, αἰτιωμένων ἀλλήλους, κρινόντων, πάλιν ἐλπιζόντων, σχεδὸν ταὐτὰ ἅπερ νυνὶ ποιούντων [ἅπας ὁ χρόνος διελήλυθεν].

Verba *ἅπας ὁ χρόνος διελήλυθεν* delenda.

III.

(Demosth.) de Halonn. 38:

ὃς τὸν μὲν Καρύστιον, τὸν πρόξενον τῆς ἡμετέρας πόλεως, ὑπὲρ οὗ ὑμεῖς τρεῖς πρεσβείας ἐπέμψατε [ἀπαιτοῦντες], τοῦτον τὸν ἄνδρα ἐκεῖνος οὕτω σφόδρα ὑμῖν ἐβούλετο χαρίσασθαι, ὥστ' ἀπέκτεινε καὶ οὐδ' ἀναίρεσιν ἔδωκεν, ἵνα ταφῇ.

Verbum *ἀπαιτοῦντες* delendum.

IV.

Demosth. de Male Gesta Legat. 131:

οὐκοῦν ᾤχετο μὲν παρὰ τὸν νόμον, ὃς θάνατον κελεύει τούτων τὴν ζημίαν εἶναι· ἐλθὼν δ' ἐκεῖσε ἑ τ έ ρ ω ν θανάτων ἄξια ποιῶν πέφανται.

Pro *ἑτέρων* legendum *ἕτερα πολλῶν*.

V.

Demosth. Timocr. 169:

καὶ Τιμοκράτης τῶν μὲν πολλῶν ἡμῶν τότε, ὅτε τὴν διπλασίαν εἰσέπραττεν, οὐδ' ἂν παρ' ἑνὸς λαβεῖν ἠθέλησεν ἐγγυητάς, μὴ μέχρι τῆς ἐνάτης πρυτανείας, ἀλλ' οὐδὲ μιᾶς ἡμέρας, ἀλλ' ἢ διπλᾶ τὰ χρήματ' ἔδει καταβάλλειν ἢ παραχρῆμα [δεδέσθαι.] παρεδίδου [δ' οὗτος] τοῖς ἕνδεκα τὸν οὐκ ὠφληκότα ἐν τῷ δικαστηρίῳ.

Verba, quae uncinis inclusi, expungenda.

VI.

Dem. in Cononem 7:

κατιδὼν δ' ἡμᾶς καὶ κραυγάσας, καὶ διαλεχθείς τι πρὸς αὐτὸν οὕτως ὡς ἂν μεθύων, ὥστε μὴ μαθεῖν ὅτι λέγοι, παρῆλθε πρὸς Μελίτην ἄνω.

Pro *ὥστε μὴ μαθεῖν* legendum *ὥστε μή με μαθεῖν.*

VII.

(Demosth.) in Neaeram 9:

ἐπενέγκας γάρ αὐτῷ αἰτίαν ψευδῆ ὡς Ἀφίδναζέ ποτε ἀφικόμενος ἐπὶ δραπέτην αὐτοῦ [ζητῶν] πατάξειε γυναῖκα κτλ.

Verbum *ζητῶν* delendum.

VIII.

Dio Cass. XXXVII. 21. 4:

ἦν δὲ ταῦτα δαφνοφορεῖν τε αὐτὸν κατὰ πάσας ἀεὶ τὰς πανηγύρεις, καὶ τὴν στολὴν τὴν μὲν ἀρχικὴν ἐν πάσαις αὐταῖς, τὴν δὲ ἐπινίκιον ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσιν ἐνδύνειν.

Pro *ἐν πάσαις αὐταῖς* legendum *ἐν πάσαις ἑορταῖς.*

IX.

Dio Cass. XXXIX. 3. 1:

Νέρουιοι δὲ τῆς μὲν πεδιάδος (οὐ γάρ ἦσαν ἀξιόμαχοι)

ἑκόντες αὐτῷ ἐξέστησαν, ἐς δὲ δὴ τὰ ὄρη τὰ ὑλωδέστατα ἀνακομισθέντες, ἔπειτ᾽ ἐπειδὴ καὶ ἐκεῖθεν ἐπικατέδραμον ἀνέλπιστοι, καὶ καθ᾽ ὃ μὲν αὐτὸς ὁ Καῖσαρ ἦν ἐτράποντο καὶ ἔφυγον, κτλ.

Eicienda est vocula *καί*.

X.

Liban. or. fun. I 537:

ἕτεροι μετανίστασθαι μέλλοντες ἐμβαλόντες τῶν ψυχῶν τὸν φόβον, ἔμενον.

Legendum est *ἐκβαλόντες*.

XI.

Ibid:

καὶ μὴν δυοῖν πόλεων ταῖν μεγίσταιν, τὴν μὲν εὑρὼν μυρίαις προσβολαῖς κεκακωμένην, τὴν δ᾽ ἔναγχος ἐφόδῳ μιᾷ κεκενωμένην τε καὶ κειμένην, τῇ μὲν χεῖρα ὤρεξεν εἰς ἀνάστασιν, καὶ φρουρὰν ἐγκατέστησε. τὴν δ᾽ ἀπειρηκυῖαν τοῖς ἅπασιν, ὥστε καὶ ὅθεν οὐ νόμος ἀναγκασθῆναι τραφῆναι, παρεμυθήσατο ταῖς ἀμείνοσι τῶν ἐλπίδων.

Altera urbs Colonia Agrippina, altera Senones (Agedincum) est. (Cf. diss. pgg. 43/44).

XII.

Julian. ep. ad Athen. pg. 279 b.

ἐν τούτοις οὖσαν καταλαβὼν ἐγὼ τὴν Γαλατίαν πόλιν

τε ἀνέλαβον τὴν Ἀγριππίναν ἐπὶ τῷ Ῥήνῳ, πρὸ μηνῶν ἑαλωκυῖάν που δέκα, καὶ τεῖχος Ἀ ρ γ έ ν τ ο ρ α πλησίον πρὸς ταῖς ὑπωρείαις αὐτοῦ τοῦ Βοσέγου. κτλ.

Nomen *Ἀργέντορα* vitiosum est, sed vitium est ipsius Juliani. (Cf. H. Hecker, die Alamannenschlacht bei Strassburg, in Fleckeiseni Annalibus 1889 pg. 77). Oppidum, in cuius nomine erravit, erat Brocomagus.

XIII.

Julian. Misop. pg. 353 B:

Δεινὸς δὲ ἀνέπεισε γέρων, ὃν καὶ ὑμεῖς ὡς ὄντα μάλιστα αἰτιώτατον τῶν ἐμῶν ἐπιτηδευμάτων ὀρθῶς ποιοῦντες ξυλλοιδορεῖτέ μοι, καὶ τοῦτον δ', εὖ ἴστε, ὑπ' ἄλλων ἐξηπατημένον. ὀνόματα ἥκει πρὸς ὑμᾶς πολλάκις κωμῳδούμενα, Πλάτων καὶ Σωκράτης καὶ Ἀριστοτέλης καὶ Θεόφραστος. ἐκείνοις ὁ γέρων οὗτος πεισθεὶς ὑπ' ἀφροσύνης, ἔπειτα ἐμὲ νέον εὑρών, ἐραστὴν λόγων, ἀνέπεισεν, ὡς, κτλ.

Non ad Iamblichum haec referenda sunt, ut v. cl. Naber (in epist. critica ad Al. Piersonum Mnemos. 1883 pg. 388) contendit, sed ad Aedesium.

XIV.

Julian. or VII. pg. 235 C:

οὕτως ἡμεῖς ὑφ' ἡγεμόσι τελούμενοι, φιλοσόφῳ μὲν τῷ τὰ τῆς προπαιδείας με τελέσαντι, φιλοσοφωτάτῳ δὲ τῷ τὰ πρόθυρα τῆς φιλοσοφίας δείξαντι, σμικρὰ μὲν διὰ τὰς ἔξωθεν ἡμῖν προσπεσούσας ἀσχολίας, ὅμως δ' οὖν ἀπελαύ-

σαμεν τῆς ὀρθῆς ἀγωγῆς, οὐ τὴν σύντομον, ἥν σὺ φής, ἀλλὰ τὴν κύκλῳ πορευθέντες.

Iniuria v. cl. Naber (l. l.) putat v. *φιλοσόφῳ* Maximum, v. *φιλοσοφωτατῳ* Iamblichum indicari. *Φιλόσοφος* Mardonius est, Juliani paedagogus, *φιλοσοφώτατος* Aedesius.

XV.

Ovid. Fast. II 201/202:
„Carmentis portae dextro est via proxima Jano".
„Ire per *hanc* noli, quisquis es: omen habet".
Pro *hanc* legendum est *hunc*.

XVI.

Quae leguntur apud Verg. Aen. II 645 sq.
„Ipse manu mortem inveniam; miserebitur hostis",
„Exuviasque petet. Facilis iactura sepulcri",
Gossravius reiecta Servii explicatione recte ita interpretatus est: „ipse me interficiam, hostis autem, „qui sua manu necatum videbit senem, miserebitur „nec insultabit aut foedabit mortuum, sed exuviis „contentus abibit. Facile autem careo sepultura."

XVII.

Tacit. Ann. VI. c. 24:
„Obturbabant quidem patres specie detestandi:

„sed penetrabat pavor et admiratio *callidum* olim et „tegendis sceleribus *obscurum* huc confidentiae venisse, „ut tamquam dimotis parietibus ostenderet etc."

Legendum est: „*obscurum* olim et tegendis sceleribus *callidum* etc."

XVIII.

Liv. I. 27. 9:

„et magna pars Fidenatium, ut *qui* coloni additi „*Romanis* essent, Latine sciebant."

Legendum est: „*quis* coloni additi *Romani* essent."

XIX.

Amm. Marcell. XVI. 5. 7:

„Sed tamen cum haec effecte pleneque colligeret, „nec humiliora despexit, poeticam mediocriter et „rhetoricam *amavit* — ut ostendit orationum epistularumque eius cum gravitate comitas incorrupta — „et nostrarum externarumque rerum historiam multiformem."

Pro *amavit*, quod inseruit Wagnerus, legendum *tractavit*. (Cf. dissert. pg. 17/18).

XX.

Amm. Marcell. XVI. 12. 17:

„Sed paulo postea uno ex his Gundomado, qui „potior erat fideique firmioris, per insidias interempto „omnis eius populus cum nostris hostibus conspira„vit et confestim Vadomarii plebs — . . . . . . ut „adserebat — agminibus bella cientium barbarorum „sese coniunxit."

Lacuna sic explenda est: „plebs — *se invito*, ut „adserebat —."

XXI.

Amm. Marcell. XIX. 11. 8:

„Proinde vallo prope *Acimincum* locato celsoque „aggere in speciem tribunalis erecto naves etc."

Pro „*Acimincum*" legendum „*Acincum*".

XXII.

Amm. Marcell. XXIV. 2. 7 et 8:

„Hinc pars fluminis scinditur largis aquarum „agminibus ducens ad tractus Babylonios interiores „usui agris futura et civitatibus circumiectis, alia „Naarmalcha nomine, quod fluvius regum interpre„tatur, Ctesiphonta praetermeat, cuius in exordio „turris in modum Phari celsior surgit. *hanc* peditatus „omnis pontibus caute digestis transivit."

Vox „*hanc*" referenda ad „*pars fluminis*", aut pro „*hanc*" leg. „*illam*".

XXIII.

Amm. Marcell. XXIV. 6. 1:
„Ventum est hinc ad fossile flumen Naarmalcha „nomine, quod amnis regum interpretatur, tunc „aridum."
Errat Ammianus, canalem a Traiano a fossili flumine Naarmalcha ad Tigridem deductum, *Naarmalcha* vocando.

XXIV.

Julianus scriptorum, qui res in Gallia ab eo gestas enarrarunt, auctor est.

XXV.

Julianus Commentarios scribere instituit post pugnam Argentoratensem, eosdem absolvit exeunte anno 362.

XXVI.

Libanius in oratione εἰς Ἰουλιανόν, quae Kal Jan. a. 363 habita est, conscribenda Commentariis Juliani usus est (cf. diss. pg. 40/41).

XXVII.

Socrates et Sozomenus ad iuventutem Juliani recte cognoscendam nullius pretii sunt.

XXVIII.

Julianus a. 347 vel a. 348 e Cappadocia Constantinopolin rediit.

ARENACI, EX TYPOGRAPHEO G. J. THIEME.